This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Mason
Q 21.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ARTIS MEDICÆ

PRINCIPES.

TOMUS QUINTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES

HIPPOCRATES, ARETÆUS, ALEXANDER, AURELIANUS, CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER,

Præses Societ. Reg. Scient. Götting. Sodalis Acadd. Reg. Scient. Parif. Chir. Reg. Gall. Imp. Berol. Suec. Bon. Arcad. Bavar. Soc. Scient. Britan. Edimb. Upfal. Bat. Botan. Flor. Helvet. In Senatu Supremo Bernenfi Ducentumvir.

TOMUS QUINTUS.

BIBLIOTHECA VAUDOISE

LAUSANNÆ,
Sumptibus FRANC. GRASSET & SOCIOR.

M. D. CC. LXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLARISSIMI VIRI.

D. WIGGAN

PRÆFATIO,

QUA RECENSETUR

IN VARIAS ARETÆI EDITIONES,

ET QUID IN EJUS EDITIONE PRÆSTITUM SIT.

ARETÆI ſcripta hæc, priuſquam Græce lucem vidiſſent, Latine prodierunt Junio Paulo Craſſo, Profeſſore Patavino, interprete, Venetiis impreſſa, A. D. 1552 in-4°. In præfatione interpretationi ſuæ annexa habet Craſſus; forte liber quidam græce manuſcriptus, veterrimus & carioſus, in manus meas incidit. In fronte libri nomen auctoris inſcriptum erat, ARETÆI videlicet Cappadocis. De morbis agebat, qui ſingulatim humani corporis membra corripiunt. Ipſum avide, ut mihi moris eſt, & ter & quater perlegi. Perlectus liber, cum gaudio, tum mœrore, animum perfudit meum; quippe gaviſus ſum tam egregii autoris librum, qui vetuſtatis injuria, hominumque ſocordia, in tenebris tot ſecula jacuiſſet, in lucem Dei beneficio fuiſſe vindicatum: indolui vero non mediocriter,

Digitized by Google

ipsum non sanum, non integrum, sed multis mendis inquinatum, multis magnisque vulneribus conciſum & laceratum, ad manus noſtras delatum eſſe. Cæterum hæc fragmenta colligere, utque pluribus uſui forent, latina facere ac publicare ſatius eſſe judicavi, quam ea in totum carie, tineis, ſituque deleri permittere. Poſt ARETÆI laudem hæc deinde adjicit. Quam multos in eo transferendo labores tulerim, quantum temporis atque olei abſumſerim, vix queam dicere, quam plurimis undique vulneribus confoſſus eſſet. Ex tribus tamen collatis exemplaribus, multa quæ deficiebant reſtitui: quæ erant depravata, caſtigavi: quæ confuſa erant, in ordinem redegi: per conjecturas etiam certiſſimas ab artis medicæ peritiâ deſumtas, non paucos locos librariorum incuria vitiatos, antiquæ & ſanæ lectioni reſtitui. De quibus autem ambigebam, neque ſinceram veritatem eruere, mihique penitus ſatisfacere poteram, eos aſteriſco notavi, aliorumque judiciis penſitandos caſtigandoſque reliqui; utque in ſumma dicam, quantum huic libro opis attulerim, qui candida mente & livore purgata ipſum curioſe lectitabunt, & cum græcis exemplaribus conferent, facile deprehendent. In margine libri variantes pauculæ lectiones inveniuntur, non græce, ſed latine tantum con-

Digitized by Google

ſcriptæ, cæterum in hac CRASSI editione, libri de diuturnorum morborum curatione ſecundi capita quinque, ſecundum ſcilicet, tertium, quintum, ſextum, atque ſeptimum deſiderantur; quæ poſtea in aliis editionibus, tam græce, quam latine, loco ſuo reſtituta ſunt.

Utinam & aliæ hujus operis, quæ deſunt, partes è tenebris erui, & cum his quæ ſuperſunt, in corpus unum atque perfectum reſarciri poſſent; cum manca hæc & miſeris modis lacera membra perito cuique arbitro tam exquiſita arte elaborata, tamve in hac mutilatione pulchra videantur, ut ea nulli etiam integro antiquitatis monumento poſthabeant. Nam in libris omnibus Manuſcriptis, quos vel ego vidi, vel Editores cæteri, non occurrunt de cauſis & ſignis acutorum morborum libri primi capita prima quatuor, neque principium quinti; in libro de diuturnorum curatione primo deſunt prorſus caput ſextum, atque ſeptimum, principium etiam & finis octavi; dehinc autem novum, decimum, undecimum, ac duodecimum, item decimi tertii principium & finis, decimi quarti finis, penitus denique decimum quintum & decimum ſextum; in libro ſecundo de diuturnorum curatione, deficit caput primum, quartum, ſeptimi finis, octavum, nonum, decimum, undecimum, cum principio duodecimi.

Digitized by Google

In variis autem totius operis partibus videntur deficere non modo verba quædam, ſed & plurime quandoque lineæ. Porro in libro de acutorum curatione primo, caput ſeptimum, de angina ſcilicet medenda, in fine mancum eſſe, in aliqua vero parte ſaucium caput ſecundum libri ſecundi de diuturnorum curatione, ubi de diabete agitur, quod ab aliis editoribus haud annotatum eſt, probavi ex AETIO, qui ARETÆUM, non niſi in duorum iſtorum affectuum tractatione, nominat, & ex eodem quædam ſe depromere teſtatur, quæ in his jam reperiri nequeunt. Caput etiam ſextum libri de curatione diuturnorum ſecundi, uti conjicio, minime integrum eſt, ſed potius maxima ex parte mutilum:

ARETÆUM græce primum edidit Jacobus Goupylus, adjectis iis libri poſtremi capitibus quinque, quæ in CRASSI verſione deſiderabantur. Græca e Mſc. in Galliarum Regis bibliotheca ſe expreſſiſſe teſtatur, duorum aliorum Codicum ope, quorum unum ſuis ſumptibus comparaverat, alterum e Capelli Muſeo depromſerat. Exemplar hoc Pariſiis nitidiſſime excuſum eſt, A. D, 1554, in-8°. apud Adrianum Turnebum, Typographum Regium. Quin & maximam in hac editione curam impendit Goupylus, utpote cum perpauca hic Typographorum errata occurrant, & trium

Digitized by Google

iſtorum Codicum collatione ſententiæ plurimæ depravatæ caſtigentur, & in fine libri variantes adjiciantur manuſcriptorum lectiones, cum conjecturis aliquot non contemnendis.

Eodem anno, ſcilicet 1554, poſt græca tamen publici juris facta, CRASSI interpretatio Pariſiis edita eſt, apud Guilielmum Morelium, & Jacobum Puteanum, in-8°. Huic annotationes locorum ſubjiciuntur, qui in ARETÆI Codice græco ab interpretatione CRASSI diſcrepant; autore G. M. T. quæ notis noſtris ad varias lectiones intermixtæ reperientur. Hic item capita illa quinque, quæ CNASSUS non verterat, jam primum latine traducta ſunt. Anonymum hunc fuiſſe Goupylum vix dubitari poteſt.

Juxta proxime memoratam editionem, latinam ARETÆI verſionem, inter medicæ artis principes impreſſit Henricus Stephanus, anno 1567, in-fol. omiſſis tamen notulis, quæ ſub fine anonymus iſte editor adjecerat.

CRASSI verſio ab ipſo recognita traductis etiam ab eodem capitibus quinque, quæ in priore ejus editione deerant, Baſileæ, apud Petrum Pernam, anno 1581, in-4°. primum impreſſa eſt; licet a CRASSO, ut ex epiſtola ejus ad lectores data patet, anno 1555: abſoluta fuerit. Verum hæc in publicum non prodiiſſe ante annum 1581, mortuo jam Paulo CRASSO,

Digitized by Google

conſtat ex Typographi ad lectorem Epiſtola, ubi hæc leguntur ; ediderat jam ante Junius Paulus CRASSUS ARETÆUM à ſe è græco in latinum verſum, Venetiis : nunc vero, ab ipſo ante obitum recognitum, & multis capitibus ex græco exemplari auctum, (ut in præfatione ſcribit) filius ejus Celſus ad nos miſit.

Omnium poſtrema eſt editio, quæ græco-latine prodiit, Auguſtæ Vindelicorum, anno 1603, in-fol. In prima libri pagina hæc ARETÆI ſcripta prædicantur eſſe græce & latine conjunctim edita, tribus Mſſ. Codicibus, Veneto, Bavarico, Auguſtano, collatis ; cum commentario, quo obſcura doctrina de nominibus, & parte affecta morborum ſingulorum, cum ſuis ſignis, perſpicua methodo illuſtratur, autore Georgio Heniſchio B. medico Auguſtano. In præfatione ſua dicit hæc Heniſchius ; tria inſpexi manuſcripta, Venetum, Bavaricum, & Auguſtanum. Idem eſt initium in Auguſtano, quod in Lutetiano exemplari : deficiunt autem in illo ſex capita, quæ deſiderata in prima editione ; Venetum, & Bavaricum contractius eſt, utrumque à ſexto capite περὶ τετάνου demum incipiens, & ſex illis capitibus ſimiliter carens. Hæc vero capita, quæ non alibi, quam in regio Codice, reperiuntur, genuina eſſe non ſine cauſa ambigo ; AETIUS enim ſermone II. cap. I. de diabete agens, optima,

Digitized by Google

inquit, (ut ait ARETÆUS), est in dolio facta evaporatio ad exsudandum, eo modo ut caput extra dolium promineat, frigidumque aërem adtrahat, reliquum vero corpus omne calefiat. Id autem in capite de diabete, quo ARETÆUS auctior redditur, non continetur: contineri deberet, si legitimum esset. Idem de reliquis judicium. Quinam autem hic est argumentandi modus? Annon in ARETÆO partes capitum passim, perinde ac capita integra, desunt? Annon etiam in curanda angina, prout supra monuimus, verba ARETÆI ab AETIO proferuntur, quæ in hoc libro nusquam legimus? Eodem itaque jure caput illud de angina, tanquam spurium, repudiare potuit. Verum in istis capitibus scriptionis similitudo, & medendi norma eadem, quæ in cæteris usurpatur hujus libri partibus, minimum dubitandi locum relinquunt, quin eidem quoque auctori adscribi debeant. Quid quod ea, ut in Regio, ita & in HARLEYANO codice (de quo infra loquemur) inveniamus. De editione sua hæc amplius Henischius, addidi autem conversionem Junii Pauli CRASSI, Medici & Professoris Patavini. Pauca quædam inserta textui latino, & diverso charactere impressa sunt, ex notis Anonymi Galli. In margine variæ sunt lectiones, partim annotatæ a Jacobo Goupylo, partim ex Codice Augustano. Item ne

Digitized by Google

imperfectus esset (inquit) ARETÆUS, & ad usum minus accommodatus, colores illius obliteratos purpurisso GALENI, & ALEXANDRI TRALLIANI, imprimis vero Pauli ÆGINETÆ, reconcinnare, & mancum suis partibus absolvere volui, nec temere; multa enim sunt apud ÆGINETAM locis aliis, quæ ex ARETÆO desumta esse constat. Hoc negotii sane & inaniter suscepit, neque feliciter exsecutus est: cum auctores ab eo memorati in manibus doctorum vulgo haberentur, neque ARETÆO ullo modo essent, vel in medendi, vel in scribendi genere, similes; Paulum vero, licet ARETÆI mentionem faciat, vix quicquam ex eo hausisse deprehendo, plurima certe & ea magni momenti, tum in describendis, tum in curandis morbis, dialecto tantum immutata, in libros suos transcripsit AETIUS; quæ loca ad imum latinæ nostræ versionis passim annotavimus. Cæterum Henischius opus hoc Typis quidem satis nitidis (etenim græcis, quibus in hac editione utimur, haud dissimiles sunt) excusum publico dari curavit: verum in obeundo suo munere ita se gessit, ut summæ possit, vel incuriæ, vel insciticæ, vel utriusque, merito accusari. Nam præterquam quod elegantissimo huic autori commentarios non nisi jejunos ad modum atque futiles attexuerit, textum ipsum, tribus licet Mss. instructus, vix uno, ni fallor, emendavit loco.

Digitized by Google

Tria hæc MSS. in fronte Libri ab eo collata dicuntur; ſed Editorem ea tantum, ut in Præfatione inquit, inſpexiſſe crediderim. Quod ad Venetum & Bavaricum attinet, nullæ annotatæ ſunt ex iis Variæ Lectiones, cum ſe eas, quæ in margine ſunt, excerpſiſſe dicat, partim ex Goupyli Editione, partim ex Codice Auguſtano. In hoc quidem conferendo, non modo ingenti illum accuratione, ſed & fide & velut religione quadam uſum eſſe facile crederes, cum quæ librariorum manifeſtiſſima ſunt errata, & vel accentuum differentias, pro variis Lectionibus apponat. Verum hæ omnes non ita magno in numero ſunt, ut mihi, qui duos Codices MSS. cum Libris editis contulerim, & animadverterim, quot quantæque in his occurrant diſcrepantiæ, magnam is in hac re videatur adhibuiſſe diligentiam. Porro, neſcio qua animi perverſitate, verba quædam e textu expulit, quæ & Autoris ſenſui optime congruunt, & intellectu ſunt facillima; in eorum vero locum quasdam inanes literas ſubſtituit (nam voces quidem Græcæ, nedum legitimæ Lectiones, neutiquam vocandæ ſunt) & quanquam in Auguſtano Codice Lectiones aliquot reperiantur haud quaquam rejiciendæ, quarum pars in textum admitti poſſit, pars etiam debeat, tamen harum nullam, quaſi malo

Digitized by Google

quodam fato, illuc inſeruit. Imo Textum adeo non illuſtravit, ut leviuſcula omnia, ſive in Litteris, ſive in Accentibus, errata ex Goupyli Editione in ſuam fideliter transferri, & alia inſuper incredibili numero, per ſolitam Typographorum negligentiam, irrepere ſit paſſus. Latinam quidem verſionem ſine minima emendatione reliquit.

Petri PETITI, Medici Pariſienſis, in ARETÆUM obſervationes brevi prodituras, ſibi inſcriptas teſtatus eſt Menagius ad Laërtium, 1692. editum, p. 253. ſed necdum prodiiſſe illas intellexiſſe ſe dicit Fabricius. De PETITI hujus hæredibus curavi ut quæreretur Pariſiis, ex conſilio ut aliquid de his obſervationibus amplius cognoſcerem; ſed quinam fuerint illi, certior fieri non potui. Nuſquam vero, cum Fabricio, puto exſtare Editionem Pariſienſem ARETÆI Græco-Latinam, in-4to. quam auctam Petri PETITI Annotationibus memorat Merklini Lindenius renovatus, a. 1686. editus.

Quod ad hanc Editionem attinet, id equidem oneris ſuſcepi, impulſu ſolo Viri Clariſſimi Johannis FREIND, qui Autorem hunc, licet in doctorum manibus rariorem, inter Græcos tamen & ingenio & arte præſtantiſſimum, in Re Medica ipſe ſcriptis exornanda non minus eloquens & accuratus, quam in ea exercenda experiens atque felix, publi-

Digitized by Google

candum mihi emaculandumque commendavit. Id profecto tres circiter abhinc annos aggreſſus ſum, & quid in hac re præſtiturus eſſem Literatis expoſui; multo autem maturius e Typographeo exiiſſet ARETÆUS, niſi propoſito meo obſtitiſſet valetudo perquam infirma. Nam in hujuſmodi negotiis labor haudquaquam tenuis eſt, utut tenuis ſit gloria. Græcum ARETÆI Exemplar cum apud Bibliopolas ne quidem unum reperiri poſſet, & pauca ea, quæ in privatis Bibliothecis erant, a Viris doctis pariter & curioſis maximo in pretio haberentur, Græca hæc omnia manu mea exſcripta prælo commiſi. Ea ut priſtino ſuo nitori, ſi ita fieri poſſet, quadantenus reſtituerentur, ſtudium curamque haud mediocrem impendi. Etenim haud modo Libros duos editos inter ſe, ſed eos etiam cum Codicibus MSS. duobus contuli. Horum alterum mihi ſuppeditavit è ditiſſima ſua Bibliotheca Dominus HARLEY, Comitis Oxonienſis Filius unicus, qui, Literarum cultor fautorque eximius, ut libros quosque optimos rarioresque undique ſummo ſtudio colligit, ita eos in literatorum uſum pervolutandos ſumma cum facilitate impertit. Alter ut, juxta Exemplar MS. in Vaticana Romæ Bibliotheca aſſervatum, exſcriberetur procuravi: quod non ſine magna, ut videtur, accuratione præſtitit

Digitized by Google

Dominicus Regoletti, Græcus, ut ipſe ait, in eadem Bibliotheca ſcriptor.

Cæterum, in Harleyano Codice, deeſt pars illa Capitis de Cauſis & ſignis Epilepſiæ, unde oriuntur libri editi; alia tamen quæ in his leguntur, in eo itidem continentur omnia. Verum Capita illa poſtremi Libri quinque, quæ in prima Craſſi Verſione deerant, non in ſuo hic loco, ſed in primis MS. paginis reperiuntur, aliquo inter iſta, & illud ubi de cauſis tetani agitur, vacuo relicto ſpatio. Capita etiam mutila in omnibus tria, de curatione nempe Phthiſeos, Jecoris, & Lienis, extra ordinem in hoc MS. poſita ſunt: utpote cum hoc de Liene illud de Phthiſi præcedat; quæ autem de Jecore ſcribuntur in fine totius Codicis adjecta ſint, poſt curationem Elephantiaſis. Hoc ideo accidiſſe exiſtimo, quod non ex uno exemplari aut eodem tempore omnia exſcripſerit librarius; ſed, tranſpoſitis iſtis capitibus poſt reliqui totius Libri exarationem in lucem alicunde protractis, ea illic deſcripſerit: cum in ſuis quidem locis aliquid intervalli relictum foret, ſed quod minus ad iſta recipienda eſſet amplum. Codex enim integer una & eadem manu ſcriptus eſt.

Hic autem, licet trecentis annis parum antiquior eſſe videatur, plurimisque paſſim mendis

Digitized by Google

dis laborans, eas tamen ex boni potius Exemplaris, quam Librarii, defectu contraxit. Nam alioqui ſcriptura, pro iſtis temporibus, ſatis nitida & accurata eſt; & graviſſima in hoc errata aliis etiam MSS. communia ſunt: & in eo monſtra iſta turpia verborum, quæ ubique occurrunt, punctulis, tanquam ſtigmate quodam, inuruntur. Porro ex eo plus adjumenti, in emendando ARETÆO, habui, quam ſperare auſus ſum: cum omnes hujus Authoris MSS. de quibus ad me notitia pervenit, & parum veteres ſint, & maculis etiam fœdiſſimis inquinati; ſiquidem hujus ope non modo verbis Jonicæ ſuæ terminationes paſſim redditæ ſunt, ſed & proba ac ſana ſententiarum quarundam lectione nitido terſoque huic Authori ſenſus proprius atque elegans reſtitutus. Quare Codicem ARETÆI, HARLEYANO emendatiorem, haud ullibi exſtare crediderim.

Codex Vaticanus, ut ex Amico intelligo, qui hunc rogatu meo inſpexit exſcribendumque curavit, valde recens eſt. Ex eo vix quicquam ſuppetiarum hauſi, niſi quod Dialectum quandoque, hujus authoritate, ubi cæteri MSS. in hac re deficerent, emendaverim. Hic ut cæteri, perquam vitioſus eſt. Aliis item, ut credo, magis mutilus; nam licet iſta in principio, de Cauſis & ſignis Epi-

Digitized by Google

lepſiæ, contineat, omnia in eo deſunt, quæ poſt ſtellulas in hac editione Capiti de Curatione Melancholiæ interpoſitas habentur.

Haud inutiles etiam, licet numero paucæ, Variæ Lectiones fuerunt, quas in ſuo utriuſque ARETÆO Margini adſcriptas mecum communicarunt, Viri in Libris Græcis Latinisque verſatiſſimi, deque Re Literaria optime meriti, JOANNES ALBERTUS FABRICIUS HAMBURGENSIS, & MICHAEL MAITTAIRE. Lectiones has non fuiſſe docti cujuspiam conjecturas, verum ex aliquo MS. decerptas, ex hoc liquet, quod inter eas reperiantur aliquæ ſenſus plane expertes, quæque in iis quibus nos utimur MSS. ſimiliter legantur. Latinam verſionem de novo dare libuit, quia Craſſi Traductio, licet haud prorſus aſpernanda, tamen ſæpiſſime, quoniam paucis vitioſisque MSS. inſtructus id operis ſuſceperit, obſcura, ut fatetur ipſe, ac dubia ſit; mihi quidem inſuper duriuſcula ac parum elegans videtur, ita ut neque Græca legentibus multa planius explicet, & ipſa, ſine Græcorum auxilio, haud raro vix intelligi queat. Num in hac plus, quam in iſta, operæ adhibitum ſit, neſcio; noſtra non dubito quin Lectoribus futura ſit commodior; cum rerum, quibus ille deſtitutus eſt, ſupra dictarum ope, & ARETÆI cum aliis

Digitized by Google

Medicis antiquis, cum Aëtio præſertim, qui multa ex eo, nulla ejus facta mentione, evidentiſſime hauſit, ARETÆI denique cum ARETÆO ipſo comparatione, ſententias haud paucas, minime antea comprehenſu faciles, clare ſaltem hic expreſſas invenient. Ubicunque Græca ita corrupta ſunt, ut iis mederi prorſus deſperaverim, ea non ſine ſenſu aliquo, uti arbitror, probabili, Authorisque de iis rebus tractationi haud incongruo, adumbrare tentavi. Hoc quicquid eſt, in Verſione licitum eſſe exiſtimavi; quoniam, re ſic inſtituta, Authori nulla fieri poteſt injuria; nam in Textu Græco nihil vel in melius, conjecturis tantum ac divinationibus meis, ſed omnia aliqua authoritate fretus, immutavi. Quoniam vero Craſſum, verbo verbum nimis fide reddentem, ſententias ipſas aliquando nec Latine ſatis nec dilucide efferre percepi, id potius mihi cura fuit, ut integra orationis membra, quam ut voces quasvis, plene & aperte, cum ea ſimul quo licuit brevitate, exponerem; Celſique, qui, Tiberii temporibus, non modo de Medicina, ſed & de Rhetorica, optime puriſſimeque ſcriptitavit, Phraſibus & loquendi formulis, quam ſæpiſſime potui, ſum uſus. Imis Latinæ Verſionis paginis Notulas quasdam ſubjeci; ubi HIPPOCRATIS effata indicantur, quæ ſine ulla

Digitized by Google

sæpe mutatione scriptis suis immiscuit ARETÆUS, ea ut plurimum ex germanissimis ejus libris hauriens, uti ex Aphorismis, Prognosticis, & libro de victu Acutorum. Ibidem locos etiam subnotavi, unde plurima clam in commentarios suos intrusisse deprendi AETIUM; eos item, qui aliis omnino similes sunt, quos AËTIUS ex Archigene sese petere testatur, quod quidem, si quem unquam ARETÆI ulterius emendandi cupido ceperit, studiis suis haud incommodum reperiet. Quod que Morborum sæpe, quorum signa Causasque explicaverat ARETAEUS. Curationes temporis injuria perierint; non absurdum fore judicavi, si Lectiones ad medendi rationem in iisdem affectibus à Medicis ejusdem sectæ usurpatam remitterem: præsertim cum ex his ARCHIGENES & ARETAEUS vix quicquam de aliqua re scripserint, quod non & in instituenda Medicina plane conveniat, & iisdem fere verbis præcipiatur. Alia quoque, diversæ Materiæ, notis interposui, quorum præcipua sunt quædam ad historiam Medicam spectantia.

Variantium lectionum congeriem, e libris Editis & Mss. ante memoratis collectam, ad Editionis hujus Paginas Lineasque accommodavi. Haud multa ex iis, ut opinor, quispiam eruet, quod faciliorem reddet ARETAEI

Digitized by Google

lectionem; nam quicquid ad eam rem facere videbatur, textui ipſi haud dubitanter inferui; inter varias lectiones iis, quæ ejecta ſunt, detruſis vocabulis; notato ſimul, quænam in unoquoque libro voces ſint receptæ. Dialecticas vero vocularum formationes, quæ in Editis aliter ſe haberent, ſive has in Harleyano ſive in Vaticano Codice repererim, in textum itidem admiſi, quibus in locis id factum ſit aut utrius Codicis authoritate, declarare ſupervacaneum exiſtimans. Nimis multa, nimis gravia quoque & aperta Librariorum errata metuo ne inter has lectiones poſuerim; ſed vel ex his alia emendandi occaſionem aliquando arripui: & ex iis lector intelliget, quam turpiter depravata ad nos pervenerint ARETÆI ſcripta, quanta ideo in conjectando licentia indulgeri debeat, quamque nulla ſpes omnia corrigendi affulgeat. In Notis has lectiones ſequentibus, cur quasdam receperim, quaſdam rejecerim, rationem reddidi, aliæ ita manifeſte ſe tuentur, aliæque ſeſe ipſas coarguunt, ut de iis nihil ultra dici poſſit. Quas feci in emendando, conjecturæ, ut plurimum ſimilibus, vel Hippocratis, vel AËTII, vel ARETII ipſius loquendi modis ſtabiliuntur.

Tractatum de ARETAEI Dialecto componere decreveram, quæ res ideo prorſus negligi

Digitized by Google

non debuit, quoniam adeo parvo in numero ad nos pervenerunt ſcriptores Jonici. Hoc quod longe accuratius doctiuſque quam ego id exſequi potuiſſem, immo quod conſummatiſſime præſtitum ſit humanitati debetur viri eruditiſſimi Michaelis Maittaire, qui cum librum ſuum inſignem de dialectis græcis edidit, nondum in ARETÆI ſcripta inciderat: verum ubi poſtea Authorem hunc evolviſſet & quædam de ejus Dialecto collegiſſet, ea rogatu Viri Cl. Johannis Freind diligentiſſime recenſuit; & una cum ARETÆI libris imprimi benevole permiſit.

ARETÆUS, ubi mendæ non ſubſunt, ſcriptor utcunque perſpicuus, tamen quia verbis antiquis, & Poeticis, & Jonicis, Hippocratis ſcilicet & Homeri ſtylum imitatus, frequentiſſime utatur, iis qui in Authorum iſtorum lectione non ſint plurimum verſati, haud raro intellectu difficilis videbitur. Habet etiam ipſe verba quædam ſibi propria ac peculiaria; in vocibus quoque novo more componendis, Poetarum ritu, uber, facilis, peritus. Quare lexicon huic operi attexere neceſſarium duxi, quod quidem minus doctis difficiliora explanaret ARETÆI verba; Criticis autem novarum vocularum meſſem, veteresque novo ſenſu uſurpatas, uno quaſi intuitu oſtenderet. Igitur quaſdam, & per ſe ſatis cognitas, & licet

Digitized by Google

cum aliis vocibus haud communi more connexas, tamen ex orationis ſerie haud difficulter comprehendendas; eas item quæ dubiæ eſſent, variiſque ſenſibus in hoc Authore adhibitæ, alphabetico ordine digeſſi: ita ut etiam Indicis loco, quoad verba notatu digniora (nam Rerum memorabilium in libri totius fine ſubjicietur index) hoc eſſe poſſit Lexicon. Medicamenta frequenter adhiberi præcipit ARETÆUS, quorum conpoſitio in his ejus libris haud explicata eſt, (horum præparationem eum deſcripſiſſe veriſimile eſt in iis quæ de re Pharmaceutica ſe confeciſſe perhibet commentariis) quapropter in Lexico locos in Antiquorum ſcriptis ſubnotare, unde Medicamentorum iſtorum formulæ peti poſſent, non inutile futurum putavi.

Præfationem hanc ſubſequentur Diſſertationes aliquot de ARETÆI Ætate, ſecta, opinionibus, ſcientia Anatomica, & Praxi Medica; ubi quæ de his rebus memoratu digna reperire potui in unum redacta ordine exponentur.

Cæterum ut hæc omnia, accurate emendata, nitideque impreſſa, in publicum prodirent, nec operæ nec ſumtibus parcere volui. Textus præſertim Græcus unius tantum & alterius literulæ menda laborat, Typis Oxonienſibus maximis atque optimis excuſus. Utinam & alii aliquando, qui in eadem lingua

Digitized by Google

de his Rebus digné tractarunt, e magnifico noſtro Typographeo edantur. Nam cum, intra quinquaginta annos proxime elapſos, in celeberrima hac Academia plures, iique optimæ notæ, & omnis fere generis, authores græci, magis emaculate, magis ſumptuoſe, quam in ulla alia Europæ Urbe, impreſſi ſint, jure aliquo miremur, quod nihil quicquam Medice cujuſvis græci, ne Galeni, ne Hippocratis quidem opuſculum ullum prelo fuerit unquam Oxonienſi ſubjectum. Primum itaque inde prodeuntem, inter antiquos mole, non pretio exiguum, lectores eruditi, benigne accipite ARETÆUM; & quicquid in hoc opere peccatum ſit, ſtudiis his jam langueſcentibus faventes ignoſcite.

DE ARETÆI ÆTATE.

Quonam tempore floruerit ARETÆUS, haud ita facile ſuſpicari licet, eo quod nullius omnino ſcriptoris, qui quidem ad nos pervenit, niſi Homeri & Hippocratis meminerit: neque viciſſim ipſe, niſi à tribus ſcriptoribus antiquis, authore ſcilicet librorum quorundam qui ſub Dioſcoridis nomine feruntur, AËTIO, & Paulo denique, idque ſtrictim & quaſi fortuito, memoretur. Ex his AETIUS quinto

Digitized by Google

ſaltem ſæculo non vetuſtior eſt, ſiquidem ex Oribaſio, Juliani Imperatoris Medico, qui ſub finem quarti inclaruit, multa paſſim ſe haurire teſtetur. Immo ſi AËTIUM ipſum conſulamus, invenietur adhuc recentior; nam & Cyrillum, Archiepiſcopum Alexandrinum, qui A. C. 444 mortuus eſt; & Petrum Archiatrum, Theodorici ſcilicet Gothi, qui circa 500 imperavit, diſerte nominat. AËTIO ætate inferior eſt Paulus; (ſi Arabibus fides, ſæculo ineunte ſeptimo clarus:) quippe qui quædam ex Alexandro Tralliano deſumit: Alexander autem, qui Romæ (teſte Agathia) circa Juſtiniani tempora floruit, nonnulla mutuatur ex AËTIO. Dioſcorides vero Anazarbæus ſine dubio libros de Materia Medica compoſuit intra Neronis Titique imperia; is enim τῦ κρατίςυ Licinii (vel Lecanii) Baſſi, quaſi tum viventis, mentionem facit: Lecanius autem Baſſus Conſulatum geſſit anno Neronis XI; eodemque anno, quo Plinius Naturalem ſuam hiſtoriam Tito Veſpaſiano (ſic enim cum Cigalino arbitror) dicavit, e vita deceſſit.

Ab hac itaque parte nihil contra Voſſium dici poteſt, qui ARETAEUM diu ante Cæſares vixiſſe ſcribit, hoc innixus argumento, quod linguâ uſus fuerit Jonica; quam quidem Voſſius aliquot ante hæc tempora ſæculis à nemine uſurpatam fuiſſe affirmat. Illud tamem à

Digitized by Google

Voſſio perperam aſſeri probat Menagius, qui ut alia omittam, Ariani Indica, Adriano Imperatori dicata, Jonice ſcripta eſſe monet. Cæterum, quod poſt initia Cæſarum exſtiterit ARETÆUS, ex hoc ipſius opere luculenter evinci poteſt: etenim non modo Antidoti à Rege Mithridate confectæ, ſed etiam (uti animadvertit vir Doctiſſimus Clericus) illius, quæ quoniam ei immiſcerentur carnes Viperinæ, ab ARETAEO ἡ δὶ Ἐχιδνῶν, ἡ διὰ Θηρίων, a cæteris vero græcis Θηριακὴ vocata eſt, mentionem facit. Hujus autem Author fuit Neronis Archiater, Andromachus: ejuſque componendi rationem Verſibus Elegiacis, qui apud Galenum etiamnum exſtant, conſcriptam ad eundem Imperatorem miſit. Quin & medicamentum Διὰ Βησασᾶ, quod item, AETIO teſte, ab Andromacho excogitatum eſt, adhiberi præcipit ARETAEUS. Ita minime dubium eſt, quin poſt initum a Nerone regnum Medica hæc ille Monumenta literis mandaverit.

Neque minus certo affirmari poteſt, eundem Dioſcoridi fuiſſe ætate æqualem, ſi libros de Euporiſtis, ubi occurrit ARETÆI nomen recte illi aſcriptos judicemus. Hoc quidem negant nonnulli: audiamus autem, quid de hac re ſentiat Dioſcoridis Editor, Saracenus. Duos hoſce libros, qui quidem omnium prope Morborum per Ευπόριςα remedia, eaque ſimplicia

Digitized by Google

aut certe ex paucioribus compoſita, complectuntur, plerique Dioſcoridi Anazarbæo aſcriptos falſo fuiſſe ſuſpicantur: nec immerito. Enim vero vix quiſquam reperietur, cui vel prima inſpectione non videantur partim ex illius libris de materia medica, partim ex aliorum quorundam Autorum ſcriptis, non quidem ipſius Dioſcoridis, ſed alius potius cujuspiam operâ, collecti & quaſi conſarcinati: quippe cum hic ſimplicibus nonnullis prorſus aliæ tribuantur appellationes, quam quæ apud illum exſtant, ac ſolœciſmi etiam compluſculi, in quos vix alibi autor ille impegiſſe deprehenditur, paſſim occurrant. Attamen cum alioqui dicendi genus unum idemque conſtet eſſe, aut certe non ita ei diſſimile, quo Dioſcorides noſter ἐν τοῖς Ὑλικοῖς uſus eſt, prætereaque ſæpenumero ab AETIO ad hunc eundem Autorem remedia varia referantur; quæ non aliunde quam ex his ipſis Parabilium ad Andromachum libris deprompta nemo non judicet: unà cum piæ memoriæ doctiſſimis viris Moibano & Geſnero eo facile adducor, ut credam & hoſce libros, æque ac priores illos, Dioſcoridi Anazarbæo attribui oportere. Neque vero cum ſint, fuerintque ſemper unius ejuſdemque ſtirpis diverſa ſynonyma, quorum eſſent aliis alia ſignificantiora, cuiquam alienum videri debet, unum & eundem ſcrip-

Digitized by Google

torem, prout ſuccurrit, modo hoc, modo illud nomen ad arbitrium uſurpaſſe. Quin & pro diverſorum temporum ratione, quibus hæc ipſa ſcribi potuerunt, apud vulgum, quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi, diverſa quoque nomina invaluiſſe mihi fit veriſimile. Quod ad ſolœciſmos attinet, minime dubium eſt; quin plerique librariorum ſeu incuria ſeu etiam inſcitia obrepſerint. Sed & nonnullos interdum ipſi Dioſcoridi per imprudentiam excidiſſe haudquaquam negaverim, quum & ad res magis quam ad ipſa verba attenderet, & eſſet illi ſermo græcus inſolitus, ac inuſitatus, uti vel ipſe Galenus, lib. XI. ſimplicium abunde teſtatus eſt. Nihilominus ut quæcumque Dioſcoridis nomine circumferebantur opera uno volumine comprehenderentur, hos etiam libros prioribus adjiciendos exiſtimavimus. De eadem hac re quoque dubitatum eſt, ideo quod nihil de hoc Dioſcoridis opere dixerit Galenus. Atqui, præterquam quod ſilentium nulla in re teſtimonii loco haberi debeat, hi Euporiſtorum libri, in quibus Remedia tantum paratu facilia nude ac ſimpliciter exponuntur, neque ita diligenter elaborati, neque adeo Medicinæ uſibus accommodati videntur, ut ab iis in medendi arte magnopere juvari potuerit, vir in omnium Medicorum ſcriptis,

Digitized by Google

& in morborum curatione verſatiſſimus, Galenus. Etiam Oribaſius, qui omnia ſua volumina ex aliorum ſcriptis contexuit, Dioſcoridem, licet ex his ejus libris plurima depromat, tamen haud quatenus ſatis ſit, de hac re tractaſſe pronunciat. Quid? an non videmus Galenum, & Plinii, & Erotiani, ſemel tantum, idque leviter, feciſſe mentionem? licet Hiſtoriæ Naturalis ab illo collecte haud mediocris pars e Rebus Medicis conſtet; hic autem vocum Hippocraticarum interpretationem ita diligenter conſcripſerit, ut Galenus, idem ipſe agens, permulta ſit ex eo mutuatus. Adeo liquet minime hos eum latuiſſe Authores, & tamen parum abfuiſſe, quin utrumque ſilentio prætermiſerit. Porro Galeni ſcripta, in quibus ſolis idoneam is inveniſſet de hoc Dioſcoridis opere loquendi occaſionem, ad manus noſtras minime pervenerunt. Nam libri de Euporiſtis, quos inter Galeni ſcripta reperimus, pro ſubdititiis vulgo habentur. Id profecto non injuria; cum quæ de hac re compoſuit Galenus, ea ſuo tempore non ſuperfuiſſe tradat Oribaſius, qui collectiones Juliano dicatas de omni re Medica ex optimorum authorum ſcriptis in unum redegit, ita ut nihil omiſerit eorum quæ Galenus dixerit. Certe Oribaſius, qui Dioſcoridis Euporiſta diſerte nominat, his ipſis, de-

Digitized by Google

quibus agimus, libris uſus eſt: cum ex iis uti cuivis utrumque Authorem conferenti ſtatim patebit, magnam partem tertii quartique ad Eunapium libri plane exſcripſerit. Neque alios ab his vidit, Oribaſii ætate non ita multo inferior, AËTIUS: quoniam ex Dioſcoridis Euporiſtis aliqua ſe haurire profitetur, quæ & in his quoque expreſſa invenimus. Itaque ſi cui minus placuerit hos Dioſcoridi libros attribuere (qui cur ei tribui non debeant, haud quaquam percipio,) quiſquis tamen eorum fuerit Author, hunc, adeoque ARETÆUM, Oribaſio vetuſtiorem eſſe omnino ſtatuendum eſt. Cæterum, ut ante Oribaſii ætatem libri iſti, niſi ad Dioſcoridem revera pertinuiſſent, aſcripto ejus nomine venditarentur (præterquam quod id ita eveniſſe nulla a vetere quoquam injecta ſit ſuſpicio) videtur facta fuiſſe difficillimum. Etenim haud unquam Medicæ magis viguere literæ, quam in ſæculis Dioſcoridi Oribaſioque interjectis: uti conſtat ex magna illa inſignium Medicorum copia, quos hæc tempora profudere, quorumque nomina, & etiam ſcripta quædam adhuc in Galeno, Oribaſio, & AËTIO reperiunttur.

Fuerunt quidem, præter Dioſcoridem Anazarbæum, alii duo, qui de rebus ad Medicinam pertinentibus ſcripſerunt, eodem nomi-

Digitized by Google

ne appellati. Horum alter, cognomento Phacas, Antonii & Cleopatræ familiaritate clarus: alterum, quem & Alexandrinum & Juniorem vocat, paulo ante ſua tempora vixiſſe tradit Galenus. Is autem qui Euporiſta compoſuit, hæc Andromacho inſcribit: cujus nominis duo itidem exſtiterunt, Neronis Archiater, & Archiatri Filius. Horum ne ſenioris quidem ad ætatem Phacas iſte pervenire potuit; Andromachi, ſaltem Junioris, temporibus (neque enim certi quid de alterutrius Andromachorum morte novimus) florere poterat Junior ille Dioſcorides. Sed cum AETIUS Pauluſque, ſive quid ex libris de Materia Medica, ſive ex Euporiſtis deſumant, nihil adjiciant, niſi ſe id ex Dioſcoride hauſiſſe: neque ſimul indicent, utro ex opere, aut quo ex Dioſcoride, idem depromant, (quia in Medicamentorum explicatione Anazarbæum operam navaſſe erat omnibus notiſſimum) ambos hos eundem Dioſcoridem pro utriuſque operis Authore habuiſſe cenſendum eſt. Quod ſi Euporiſta Anazarbæo demum adjudicemus; hæc ab illo, Archiatro potius, quam ejus filio, inſcripta fuiſſe probabile eſt. Nam Erotianus in vocum Hippocraticarum Collectione, quam Andromacho dicat Archiatro, quædam ex Dioſcoridis libris de materia medica profert: qui, cum ab omnibus magnopere celebrentur

Digitized by Google

& Euporiſtis longe ſint accuratius perfectiusque compoſiti, aliquo etiam poſt ea tempore conſcripti fuiſſe videntur. Itaque ſi hæc vera eſſe credamus, quæ certe ſunt maxime veriſimilia, ARETÆUM, non modo poſt ſuſceptum à Nerone principatum (de quo dubitandi non eſt locus) ſed & ante exactum Titi imperium, vixiſſe ſtatuendum eſt. Sin quis adhuc fieri poſſe affirmet, ut hæc de Euporiſtis filio Andromachi fuerint dicata, vel etiam a Dioſcoride illo Juniore compoſita, ne tumquidem quicquam, niſi hoc, evinceret; ſcilicet id tantum ex hoc ſcriptore certo colligi poſſe, quod ſaltem vel Trajani vel Adriani temporibus haud inferior fuerit ARETÆUS. Sed & ad opinionem noſtram confirmandam id etiam facit, quod, non niſi intra determinatum illud, a Neronis ad Adriani uſque imperium, annorum intervallum, ARETÆI ſatis commode collocari poſſit ætas. Neque enim diutius ſecta viguit Pneumatica, quorum opinionibus hunc ſeſe addixiſſe mox docebimus. Nam ex his, medicorum ſuæ ætatis princeps, Trajano & etiam Adriano rerum potiente (uti ex Juvenale conſtat) inclaruit Archigenes; cujus præceptor fuit Agathinus, Agathini vero, ſectæ iſtus Author, Athenæus. Quare omnino neceſſe eſt, ut non procul a Neronis imperio ſecta hæc initium ceperit. Præter eos, de quibus

quibus ſumus jam locuti, non niſi alii tres à Galeno memorantur Pneumatici, Herodotus, Magnus, & Leonides; quorum Herodotus, Agathino etiam magiſtro uſus, Romæ magna cum laude artem ſuam exercuit. Ante hunc, uti è Cœlio Aureliano diſcimus, ſcriptis ſuis innotuit Magnus: Leonides autem ARCHIGENI ſaltem æqualis fuit, quippe cujus mentionem faciat idem Cœlius, qui Sorani ſcripta ſe in latinum ſermonem convertiſſe agnoſcit: Soranus autem iſte, Trajano Adrianoque imperantibus, medicinam excoluit. Contra Sectam hanc, tanquam jam demortuam & in virorum illorum libris duntaxat ſuperſtitem, diſputat Antonini Imperatoris medicus, Galenus. Itaque non alio tempore ARETAEUM exſtitiſſe credibile eſt, quam eo, intra quod aliqui ſaltem ejuſdem Sectæ viguere Medici.

At hic ſcrupulus quidam injici poteſt; Galenum ſcilicet, qui innumera Medicorum nomina & opiniones ſcriptis ſuis ubique immiſcuit, ſi ARETAEUM ſubſequutus eſſet, non fuiſſe commiſſurum, quin aliquam ejus alicubi feciſſet mentionem. Profecto fatendum eſt, hujusmodi argumento multo facilius quemvis eo adduci poſſe, ut ARETAEUM Galeno fuiſſe Juniorem, quam ut Euporiſta illa ad Dioſcoridem non pertinere, exiſtimet. Ne-

Digitized by Google

que enim omnino verisimile est, ut Galenus Hippocraticae, si quis alius, Artis Eloquentiæque admirator, si in Aretaei scripta unquam incidisset, hunc, Medicinæ Parenti ita similem ac pene æmulum, memoratu dignum non judicasset. Neque vero, cum idem hic multa de morborum tam causis, quam remediis, doceat minime vulgaria, ejus scripta sine aliqua vel honoris, vel reprehensionis nota, prætermisisset Galenus; præsertim cum Pneumaticorum cæteros frequenter collaudet, frequenter etiam coarguat. Causam vero, cur à Galeno Author noster parum esse cognitus posset, invenio perquam probabilem. Archigenis (circa cujus ætatem vixisse Aretaeum, & quocum Sectam habuisse communem docuimus) fragmenta, sparsim apud Aetium restantia, Aretaei scriptis ita omnino similia sunt, ut non modo curandi rationem, quæ & ipsa sæpe singularis & duobus hisce Authoribus quasi propria est, sed & easdem descriptiones, observationesque, iisdem sententiis, iisdem fere verbis expressas, ab utrumque frequentissime legamus. Quare minime mirum videri debet, si Archigenes, qui eadem, quæ in Aretæi scriptis leguntur, libris suis comprehendit, quique in urbe Roma, terrarum orbis Imperatrice, Medicinam exercuit, hu-

Digitized by Google

jus famam nominis sui celebritate præstrinxerit. Quid quod verbis HIPPOCRATICIS quidem, sed obsoletis, sæpissime utatur ARETÆUS; &, cum his temporibus fusum illud & Asiaticum dicendi genus invalescceret, in desuetudinem jam abierant, quæ HIPPOCRATEM secutus eleganter hic usurpat, tum dialectus Jonica, tum subtilis quædam ac venusta orationis brevitas. Contra, ARCHIGENES, licet in eo eadem sit alioqui forma & quasi color sermonis, minimè tamen (quod ex illius scriptis apud Galenum restantibus patet) aut verbis, quæ Jonibus propria sunt, utitur, aut communes, eorundem more voculas unquam immutat: sed Atticam, id est, vulgarem, sequitur loquendi normam. Atqui ARETÆI quidem Libros, si ad ipsius manus unquam perveniissent, magni æstimasset Galenus, qui, in HIPPOCRATIS scriptis ipse versatissimus, ea jam tum vel à Græcis minus intellecta amplis doctisque illustravit commentariis: iidem vero ARETÆI Libri à cæteris Medicis, utpote qui eadem, magis populari sermone, docentem in manibus haberent ARCHIGENEM, negligi prorsus poterant, ideoque ne Galeno quidem ipsi innotescere.

Cæterum, quod ad hos duos Pneumaticos attinet, nullo modo dubitari potest, quin alter alterius vestigiis nimis presse institerit.

Digitized by Google

Facilius tamen adducor, ut credam ARCHIGENEM ex ARETÆO, quam hunc ſua ex illo ſumpſiſſe. Quippe ARETÆUM ARCHIGENE, uti jam monuimus, magis veriſimile eſt ætate aliquanto priorem, quam eo vel poſteriorem, vel etiam ei æqualem fuiſſe. Porro ARCHIGENES, Syria licet oriundus, Romæ, in luce atque conſpectu omnium, artem ſuam profitebatur; & ejuſdem libri in manibus atque ore hominum verſabantur, non modo Galeni, ſed & eorum, qui ARETÆI meminerunt, AETII ſcilicet Paulique temporibus.

Cappadox noſter ubinam locorum vitam egerit, incertum; procul dubio tamen in aliqua regione hæc literis conſignavit, cui liberum cum Roma intercedebat commercium: quippe qui vina ægrotantibus Italica dari præcipiat, Fundanum, Falernum Signinum; quod cum ita fuerit, quanam ſpe, quonam conſilio notiſſimi illius Authoris lucubrationes pro ſuis venditare potuit ARETÆUS? Præſertim cum nihil fere in rebus, nihil in rerum explicatione immutarit, niſi quod ſententias omnino ſimiles nitida quidem & eleganti, ſed antiqua & inſueta, orationis forma veſtierit. Certe de rebus tantum, ab ipſo viſis atque cognitis ſeſe loqui profitetur: opinionem ſuam de rebus dubiis ubique profert: de reliquis duabus Medicinæ partibus, Chi-

Digitized by Google

rurgia ſcilicet & Pharmacia, ſeſe ſcripſiſſe teſtatur : & medicamentum à ſe inventum prædicat : propriaque experientia præcepta ſua confirmat, ſingularis idem medendi artifex & Magiſter. An non longe facilius hominis obſcuri ſcripta, qui tamen cum eo ſectam haberet communem, & cujus neque patria ab illius gente, neque ætas ab illius ævo multum erat remota, Romæ nondum inclaruiſſe comperiens, ſibi aſcribere potuit ARCHIGENES?

Huic rei profecto ſimile quiddam admiſit AETIUS, qui ARETÆI, quidem in duorum affectuum tractatione mentionem fecit, multo tamen plura ex eodem, ſuppreſſo ejus nomine, paſſim traduxit : cum iſte cæteroqui, tam in deſcriptionibus, quam in curationibus morborum, vix quicquam, niſi alicujus authoritate præcipiat. Præter AETIUM non niſi pauci admodum ſunt Græci Medici, Galeno juniores, quorum ſcripta ad hæc tempora pervenerunt, ORIBASIUS, ALEXANDER, PAULUS, ACTUARIUS, THEOPHILUS, &c. Hos ARETÆO recentiores eſſe ſatis manifeſtum eſt. Ex his PAULUS duntaxat ARETÆUM nominat : atqui nec ipſe PAULUS, nec reliquorum aliquis quicquam ex eo, quantum ex horum lectione comperio, hauſerunt. Hoc quidem eo magis mirum eſt, quod, cum Libros ſuos

Digitized by Google

ex aliorum ſcriptis maximam partem confecerint, vix medicamentum quodvis præcipiant, cujus uſum ii non inventoris nomine inſigniant, nec ullam curandi rationem imperent, quam non alicujus authoritate commendent. Ita vel inter Græcos ARETÆI nomen parum inclaruiſſe percipimus. Immo neque, poſtquam in Occidentalibus his plagis Græcæ excoli cœperunt Literæ, ita multos ejus ſcripta lectitaſſe animadvertimus; ex quibus etiam doctiſſimos, uti Henricum Stephanum, Mercurialem, & Foëſium, Critica hæc magis, quam Medicæ ſcientiæ gratia, evolviſſe manifeſtum eſt. Quare utcunque Author hic poſt initia quidem Neronis, nondum cœpto tamen (uti videtur) Domitiani imperio, Medicinis ſcriptis jam illuſtraſſet, hunc tamen à Galeno haud memorari res neutiquam mira eſt; cum ab omnibus retro ſæculis uſque ad hunc diem ea ſemper fuerit illius fortuna, ut nonniſi paucis admodum innoteſceret.

DE ARETÆI SECTA.

De ARETÆI Secta altum eſt apud Authores ſilentium: primus & unicus, quod ſciam, ex ipſius ARETÆI ſcriptis probat, Vir multæ

Digitized by Google

reconditæque eruditionis, Cl. Clericus, eam fuiſſe, quam vocant Pneumaticam. Hujus autem diſciplinæ princeps fuit Athenæus; patria Cilix, Attalia natus (unde Cœlio dictus Tharſenſis) cum Plinio fere ætate conjunctus. De cujus quidem in rebus medicis philoſophandi ratione hæc ex Galeno accipimus. Secundum Athenæi ſententiam, Elementa non ſunt quatuor illa prima corpora, ſc. Ignis, Aer, Aqua, Terra, ſed eorum qualitates, Calidum, Frigidum, Humidum, & Siccum, ex quibus duo cauſarum efficientium munere fungi putat, Calidum & Frigidum; duo materialium, Siccum & Humidum ſupponit. Quintum vero ex Stoicorum opinione introducit, ſpiritum cuncta penetrantem, à quo omnia contineantur & gubernentur. — Et paulo poſt — Athenæus vero & ARCHIGENES ſpiritu ſolo ea penetrante, tum naturalia conſiſtere, tum morbos univerſos hoc prius offenſo creari dixerunt. Unde & Pneumatici, veluti qui omnia Spiritibus attribuant, nuncupantur.

Sed quanquam nemo eorum, qui paulo ante floruerant, medicorum, Galeno teſte, ita accurate ut Athenæus univerſam rei Medicæ rationem literis mandaverit, ejus tamen opera, quæ fuerant plurima, penitus interciderunt, præter reliquias quasdam, easque

Digitized by Google

perpaucas, quas ſparſim hodie apud Oribaſium invenimus. Sed neque in his litera ulla occurrit, quæ vel illius opinionem uberius exponat, vel doceat quidnam per ſpiritum iſtum deſignare voluerit, quonam modo pati aut offendi iſtum putaverit, aut qua ratione denique Spiritus iſtius vis ad morbos vel creandos vel tollendos pertinere cenſenda ſit. Nam quod de pulſu ſcribit Athenæus, quod ſcilicet ſit motus per diſtentionem naturalem & involuntarium Spiritus, qui in arteriis eſt & in corde, quique ex ſeipſo & in ſeipſum movetur, unaque cor moveat & arterias, id perperam Cl. Clericus vel intelligere vel interpretari videtur. Nam in hoc ipſo Galeni loco, non Spiritus legitur, ſed Calidi. Atqui ſpiritum a calido quid eſſe diſtinctum volunt Pneumatici.

Idem dicendum eſt de Agathino, Magno, Herodoto, atque ARCHIGENE, qui Athenæo & ſecta, & ætate ſucceſſerunt: quorum etſi ſatis multa Galeni, etiam & Oribaſii temporibus exſtiterunt, perpauca tamen, eaque momenti ſane exigui, ad manus noſtras pervenerunt. Ita ut ſi quid de hac Medicorum ſecta ſcire volumus, id nuſpiam niſi ab ARETÆO, ex hac itidem diſciplina profecto, petendum ſit.

Spiritum igitur ARETÆUS à corde per pul-

Digitized by Google

mones trahi dicit, eumque tertium quoddam & ab humoribus & a ſolidis partibus diverſum ponit, quorum omnium convenienti ordine & modo vitam hominis adminiſtrat Natura: in hoc HIPPOCRATEM haud dubie ſecutus, qui corpus dividit in ſolidas partes, humores, & ea quæ impetum faciunt. Spiritus adeo hic, cum vim obtineat maximam, quaſi principium motus eſt habitus; idemque in humana fabrica præſtat, quod in mundi membris Virgilianus iſte,

—— intus alit; totosque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Quæ quidem Philoſophia e Stoicorum ſcholis manavit, qui animam mundi ubique diffuſam eſſe docuerunt, ita ut omnia, Ciceröne interprete, uno divino & continuato ſpiritu continerentur. Unde & GALENUS CHRYSIPPUM, Stoicorum principem, Pneumaticæ etiam ſectæ patrem appellat.

Itaque ſpiritus hic, ſi rectam agendi normam ſine ullo impedimento ſequatur, univerſam machinam animat, alit, conſervat: eodem penitus compreſſo, homo non diu permanet, ſed repente moritur. Sin aliquo vitio laboret ſpiritus, aut vi aliqua labefactetur, quod idem eſt ac cum eum pati & of-

Digitized by Google

fendi dicunt Pneumatici, varia morborum genera oriuntur, pro cauſarum varietate diverſa.

Spiritum quippe multifariam affici poſſe docet ARETÆUS. Si enim in caſu Epileptico, intra pectus ferveat & incluſus omnia commoveat, facit ut ad reſpirationis exitus, os ſcilicet atque nares, humorum inundatio prorumpat. Si intus naſcitur, frigidus ac iners, qui nec per ſuperiora nec inferiora facile transmitti poteſt, ſed per inteſtinorum ſinus convolutus inhæret, Ileon parit. Refrigeratum & humiditate oppreſſum, conſequitur aſthma; cui igitur mulieres magis patent, quam viri, quia humidæ frigidæque ſunt: eodem in morbo, ex inflatione ſpiritus, colon intumeſcit. Spiſſus, humidus, nebuloſus ſpiritus Lienis ſcirrhum; ſubtilis & reſolutus, tenuis & ſiccus Phrenitin; congelatus apoplexiam creat. Idem in tympania licet locum non mutet, ſed maneat undique æqualis, tamen ſi in nebulam quandam & aquam immutetur, tum etiam locum mutat, & Aſciten adeſſe haud obſcure prænuntiat. Quod ſi in imbecillo corpore parum firmus ſit, cum orbe quovis facile convolvitur; quare ſi quidvis in circulo rotatum, aut circumvolutum, turbinem inſpiciat vertigini obnoxius, metus eſt ne ſpi-

Digitized by Google

ritu etiam circumvoluto in morbum recidat. Eſt, ubi torpentem ſpiritum excitari; eſt, ubi, curcubitularum ope, ex oppreſſis pulmonibus foras protrahi jubet ARETÆUS. Sed ſuam de ſpiritu ſententiam nullibi ita clare aperit, ac cum anginæ ſynanches dictæ naturam explicat. Mihi autem, inquit, videtur ipſius tantum ſpiritus id eſſe vitium, qui prava quadam mutatione in calidiſſimum ficciſſimumque convertitur, ſine ulla membri cujusvis inflammatione. Neque ſane id ita fieri valde mirum videri debet; ſiquidem, in Charoneis ſpecubus, homines non affectu quopiam corporis acutiſſime ſtrangulantur, ſed vel unico ſpiritus hauſtu interimuntur, priusquam corpus ullo modo ſit affectum; quinetiam, ſine morſu quovis, ſed a lingua canis recepto tantum ſpiritu, in rabiem homo agitur. Eadem itaque ſpiritus mutatio intra hominem fieri poteſt: quoniam in homine aliæ res innumeræ cum exterioribus cauſis ſimilitudinem habent. Succi ſunt, qui extra atque intra corpus mortem inferunt; morbi venenis ſimiles ſunt, & ab epoto medicamento eadem, quæ in febribus, evomuntur. Quam ob cauſam factum eſſe veriſimile eſt, ut in peſtilentia, quæ Athenas afflixit, nonnulli Peloponneſios venena in puteos, qui in Piræo erant, conjeciſſe

Digitized by Google

cenſerent; etenim peſtilenti morbo magnam eſſe cum venenis affinitatem homines non intelligebant.

Hæc fere de ſpiritu, quinto ſectæ Pneumaticæ principio habet ARETÆUS: an recte, an ſecus, ſenſerit, judicent alii: quod vero ad reliqua quatuor, calidum ſcilicet atque frigidum, ſiccum ac humidum ſpectat, ea in ſingulis fere paginis ad explicandas, tum morborum cauſas, tum curandi rationes, adhibet.

Hunc in quam pluribus cum Methodicis convenire mihi utique non liquet; eumque qui illius ſcripta paulo diligentius expenderit, ad hanc opinor ſententiam acceſſurum. Sane a Methodicorum charactere nihil fere eo remotius, qui quidem nec locum affectum, nec cauſam, nec ætatem, nec tempeſtatem, nec regionem nec ægri vim aut naturam aut habitum curant, a ſolo affectu indicationem ſumere ſatis habentes, deque eo non ſpeciatim ſed communiter & univerſe ſtatuunt i. e. Κοινότητας quasdam, quæ particularia comprehendant, ſequuntur: hasque dicunt eſſe duas, præter aliam mixtam, quibus nomina στέγνωσις & ῥύσις, omnemque morbum vel στεγνὸν, vel ῥοώδες, viz. aſtrictum, vel fluentem, vel ex utroque compoſitum. Indicia vero curationis eſſe, in aſtrictis relaxationem, in fluentibus aſtrictio-

Digitized by Google

nem; in mixto, ei quod urget reſiſtendum.

Ad hunc morbum perſpicue & luculenter ſectæ methodicæ de re Medica opinionem aperit Galenus. Quid autem huic ſimile effert ARETÆUS? qui de hoc aſtrictionis fluorisque commento ne verbum quidem prodidit: qui cum de morbis tractaret, id ſibi tanquam perpetuam ſcribendi regulam præſcripſit, ut eorum cauſas præcipue ſedesque erueret, ſignorum varietatem & implicationes omni qua poſſet ſubtilitate explicaret: quique cætera ita minute & exquiſite perſecutus eſt, ut quod ad Aëris conſtitutionem, ad cœli oras, ad naturæ vires, ad corporis temperiem, ad ætatum denique rationes ſpectaret, ne minimum quidem prætermiſerit: exemplum liceat proferre. In Phthiſi deſcribenda, quo judicio, qua accuratione formam morbi & lineamenta adumbrat? ita ad naturam exprimitur facies iſta HIPPOCRATICA, ut etiam in conſpectu noſtro quaſi ſpectrum aliquod verſari videatur. Multa ibi de mali ipſius vario genere, multa de ſymptomatum gradibus, nonnulla de præſagii notis differit; quæ demum ætas, qui habitus, quæ regio huic labi ſuſcipiendæ maxime idonea ſit, haud vulgari acumine recenſet. Horum fere ſingula apud methodicos, ut unum pro omnibus adducam Cœ-

Digitized by Google

lium Aurelianum, fruſtra quæſiveris. Ita parum cum methodicis congruere videmus ARETAEUM. Quod ſi in curandi ratione cum iis ſæpe conveniat, idem de cæteris quibuscunque ſectis ſtatuendum: nam quod ad remediorum delectum attinet, etiam dogmatici atque Empirici, quorum, de morborum rationibus opiniones diſſitiſſimæ ſunt, ne dicam contrariæ, haud valde inter ſe diſſentiunt.

Sed de ſecta ARETÆI ſatis; ad alia properandum eſt. Hoc unicum ſubjicere liceat, nihil eſſe hoc ſcriptore ad naturæ veritatem efformatius, nihil diſtinctius nihil enucleatius, cujus ſane ingenium, ut Phidiæ ſignum, nequit ſimul non & aſpici & probari. Iis quippe coloribus, tanquam exquiſitus artifex, morborum imagines effingit, ut eos inter legendum oculis uſurpare videamur.

Varia maniacorum ſpecimina, eaque fere ab aliis intacta, tanquam in tabulâ depicta, contemplari libeat: ut, quibuscunque cum hilaritate inſania eſt, noctes diesque rideant, ludant, ſaltent, ut in libidinem palam ferantur: & tanquam ex certamine aliquo victoriam adepti, cum coronis incedant: ſpecies hæc aſtantibus innoxia eſt. Alii vero, qui cum iracundia furunt, etiam veſtes ſuas aliquando diſcindunt, & miniſtros ob-

Digitized by Google

truncant, & ſibimet ipſis mortem conſciſcunt; & hæc quidem ſpecies non ſine periculo etiam eſt eorum, qui interſunt. Species autem ſunt innumeræ. Qui ingenioſi, & eruditi ſunt, Aſtronomiam ſine præceptore, Philoſophiam per ſe ipſos callent, Poetices tanquam ex afflatu Muſarum periti ſunt; ita vel in morbis aliquid emolumenti habet liberalis inſtitutio. Rudes autem & indocti homines, vel pondera circumferunt, aut lutum in fictilia efformant, aut fabrilem artem exercent, aut lapides dolant. Vanis etiam opinionibus addicti ſunt; etenim homo fuit, qui ne ampullæ quædam deciderent metuebat, quoniam ex iis unam ſe eſſe arbitraretur; & alius quidem laterem eſſe ſe exiſtimans, bibere prorſus noluit, ne humore diffluereet.

Hæc etiam hiſtoria fama divulgata eſt: faber erat quidam, qui, cum eſſet domi, prudens omnino fuit artifex, ligna perite metiebatur, ſcindebat, complanabat, clavis connectebat, aptabatque, domum ſolerter exſtruebat: cum iis, qui opera locabant, colloqui, paciſci, juſtamque poterat laboris mercedem exigere. Is adeo, intra locum, ubi artem exercebat ſuam, mente plane conſtabat, at ſi vel ad forum, vel ad balneum, vel alio, quavis de cauſa, eſſet

Digitized by Google

egreſſurus, inſtrumenta deponens primo ingemiscebat, deinde in ipſo exitu conſtringebat humeros; poſtquam autem e domeſticorum conſpectu, & ab opere ſuo, ejusque limitibus proceſſiſſet, homo prorſus inſaniebat: & ſi reverteretur illico, redibat etiam ad ſe; ita mens ejus & artis locus iisdem erant circumſcripta limitibus.

Epilepticum vero, totis artubus contortum atque convulſum; Tetano laborantem, quaſi fidiculis diſtractum diſcerptumque, quis eſt qui, cum ſemel perlegerit, non ſtatim ſe præſentem adeſſe & coram intueri quodammodo ſentiat: ita ut a malo victus (cum ARETÆO loquor) nullam ultra medicinam adhibere conatus, una cum iis dolere tantum condiſcat. Quæ ſane illius atque omnium, uti arbitror, judicio, magna eſt Medici infelicitas.

DE ARETÆI

In rebus Anatomicis ſcientia.

ARETÆUS rei Anatomicæ ſcientiam, tum ad morborum cauſas, tum ad medendi rationes inveſtigandas, ita neceſſariam eſſe judicavit, ut in ipſo ſingulorum fere capitum initio

Digitized by Google

initio quædam de fabrica partis affectæ perſtrinxerit. In quo quidem Eraſiſtrati atque Herophili veſtigiis inſtitiſſe videtur, qui ſectæ dogmaticæ principes habiti, neminem, niſi in hac arte verſatum, Medici munere, uti decebat, fungi poſſe voluerunt. Itaque, ſcriptor utcunque brevis atque conciſus, hunc locum fuſius atque diſtinctius, quam ii, qui inter veteres de morbis tractarunt, explicuit ARETÆUS. Quam vero ille rerum anatomicarum notitiam habuerit, ipſius ARETÆI interpres fidus, paucis perſequar. Cor igitur ex illius ſententia, vitæ atque roboris principium eſt; in eo anima, & natura ejus locatur. Quod & HIPPOCRATES, & CHRYSIPPUS ſtoicus docuit. Quare, Syncope, cum cordis vitæque morbus ſit, humanæ conſtitutioni plane adverſaria eſt, & vinculorum quædam diſſolutio eſt, quibus facultas continetur vitalis. Cor vero, viſcus calidum, in medio pulmonum jacet, quod reſpirationis vitæque principium eſt: illud etiam frigidi aëris attrahendi deſiderium pulmoni injicit, ſiquidem eum incendit: cor autem eſt id quod attrahit.

Pulmo autem naturaliter doloris eſt expers, quoniam illius ſubſtantiæ raritas quædam ineſt, lanæ aſſimilis; Arteriæ vero per eum diſſeminantur, aſperæ, cartilaginoſæ,

Digitized by Google

eæque etiam doloris immunes : musculos nusquam, nervos tantum exiguos habet & tenues, qui motui ipsius inserviunt. Et hæc vera causa est, cur in Peripneumonia, quæ pulmonis inflammatio est, dolorem pulmo non percipiat, sed adsit pectoris quædam gravitas, quæ tamen dolore vacet. Membranæ vero omnes, per quas pulmo pectori adnectitur, sensu acutissimo præditæ sunt : quæ si cum eo inflammentur, accedit etiam dolor : veluti cum Pleuritis comitem habeat Peripneumoniam.

Eadem ratio est in sanguinis rejectione, quod in eo tantum casu, ubi sanguis ex pulmone fertur, qui affectus omnium est gravissimus, ægri, etiam cum ad ultima ventum est, de se non desperent, quia scilicet pulmo dolorem non sentiat. Nam, vel in exiguo dolore, laborantes mortem horrescunt, & plerique magis exterrentur quam læduntur : contra, cum in maximis affectibus dolor abest, nullus etiam mortis subest timor ; & id mali magis pernicioſum est, quam terrificum.

Arteriarum pulsus sanguinem propellunt, quare si vulnerentur eæ, ob frequentem earum motum oræ vulneris non facile committuntur. ARTERIA Crassa, quæ secundum dorsi spinam juxta Venam Cavam protendi-

Digitized by Google

tur, Aorta ſcilicet (ab ARETAEO poſt Praxagoram Αρτηρία Παχεία dicta) una cum Vena Cava Inflammationem patitur: quæ quidem inflammatio à Veteribus Cauſi ſpecies vocata eſt. In ea enim notæ ſimiles iis, qui in Cauſo, oriuntur; Febris etiam, ſicut in Cauſis, ad Syncopen tendit: etenim venæ radix eſt Jecur, Arteriæ vero principium cor. Haud abs re igitur exiſtimes ſuperiores horum viſcerum partes præcipue laborare; cor enim Arteriæ calorem impertit, venæ autem Jecur ſanguineum: & cum utraque magna ſit, magnæ item ſunt quæ his innaſcuntur inflammationes. Eadem vero Arteria in venæ cavæ inflammationibus, juxta ſpinam, palpitat; quod a pulſu in altera præcordiorum parte ſignificatur. Nam arteria, juxta venam ad ſiniſtrum latus poſita, cum illa conſentit, utpote quæ in omne corpus diducatur. De hoc Arteriæ venæque hujus affectu vix ulla apud antiquos, quorum ſcripta in manibus noſtris verſantur, reperiri poteſt mentio. Quicunque autem de eo tractaverint, Praxagoræ opinionem in hac re ſecuti ſunt; qui uti e Ruffo Epheſio diſcimus, in ea vena, quæ a Jecore in renes mittit propagines, initium eſſe Febrium affirmavit: ſolamque eam, Κοίλην, ipſe nominavit: quanquam alii illam itidem, quæ ſurſum in cor per ſeptum

Digitized by Google

transverſum evadit, ita appellaverint. Ita quoque eandem vocat, ambasque has ejusdem venæ continuationem eſſe docet ARETAÆUS.

Venæ a Jecore, tanquam radice, oriuntur, ab eoque ſanguinem accipiunt. A Portis Jecoris, inter ejus extrema, vena lata procedit, quæ in tenues ac plures uſque diviſa, in totum denique Jecur per venas adeo minutas diſtribuitur, ut eæ viſum effugiant. Harum ſummis oſculis aliarum venarum extremitates committuntur, quæ ex tenuibus pluribusque majores paucioreſque fiunt, & in medio tandem Jecore in venam unicam atque grandem coaleſcunt. Inde per diviſionem duæ factæ ultra Jecur pertinent. Harum altera primam Jecoris fibram ſurſum penetrans, in gibba ejus parte iterum emergit: & poſtea ſepto tranſverſo perforato, intra pectus protenſa, nulli rei adhæreſcens, ſed ibidem ſuſpenſa, cordi inſeritur; Vena Cava hæc vocatur. ALTERA, quinta & inferiore Jecoris fibra uſque ad gibbam ejus partem trajecta, juxta ſpinam exit, eique uſque ad coxas prætenditur: hæc etiam Vena Cava eſt: idem enim nomen obtinet, quoniam una atque eadem Vena eſt, initium ſumens a Jecore. Nam ſi quis velit, lamellam poſſit, a ſuperiore Vena Cava, quæ ad cor pertingit, in eam, quæ juxta ſpi-

Digitized by Google

nam ſerpit, rurſusque a ſpina per Jecur intra cor, tranſmittere; eadem enim via eſt.

In Vena hac præter inflammationem ſupra memoratam, oriuntur affectus, qui vocantur Κίδματα: in quo caſu ſanguinis, ex iſtius ruptione, profuſio citiſſime interimit.

In Cavam autem in Cubito Venam ex omnibus præcipuis viſceribus eſt ſanguinis via: hæc autem quæque hac ſuperior Vena eſt, unius Venæ in brachio ſunt propagines, quo fit ut nihilo magis juvet, ſuperiorem, quam hanc, incidere: nam propaginum ignari ſunt, quotquot ſuperiorem ſtomacho & Jecinori annectunt. At ſi a Liene fiat ſanguinis profuſio, ſiniſtræ manus Venam illam, quæ inter minimum digitum atque annularem jacet, medicorum nonnulli incidere jubent, quoniam ad Lienem uſque pertinere arbitrantur: ſed ipſa etiam inferioris Venæ Cubiti propago eſt: cur itaque hanc prope digitos potius, & non in Cubito quis inciderit? Etenim in Cubito major eſt, & ſanguinem facilius effluere permittit.

Opus procreandi ſanguinis ad Jecur, quod eſt Venarum radicatio, pertinet; unde & illius maxima pars ſanguinis quædam concretio eſt. Etenim, ut alimento in Jecur ſemper patet introitus, necalia via eſt, per

Digitized by Google

quam cibus in omne corpus a ventriculis & inteſtinis diducatur; ita & ex hoc viſcere in univerſum corpus ſanguinis emanatio eſt. Quæ & Eraſiſtrati fuit ſententia. Portæ Jecoris ex membranis, nervisque tenuibus quidem illis, maximi tamen ad vitam momenti, atque ex Venis grandibus contexuntur. Itaque exiguæ inflammationes ſæpiſſime ibidem oriuntur. Præterea, ut Philoſophi quidam prodiderunt, huic loco animæ appetitus inſidet. Bilis autem in Jecore creatur, quæ per Veſicam in hoc viſcere ſitam ſecernitur, & per vias quasdam in inteſtina defertur. Quæ viæ ſi vel inflammatione vel ſcirrho obſtruantur, & iſta exundet Veſica, bilis retro fluit; itaque ſanguini commiſcetur, qui per omne corpus dimanans, bilem quoque in omnia membra ſecum trahit; inde in ictero corporis ſpecies bile tingitur. Stercus autem album eſt, argillæque ſimile, neque bilis colore tinctum, quoniam humoris iſtius affluxu caret: unde alvus etiam ſicca eſt, quia bile neque madeſcit neque ſtimulatur.

Lienis alimentum nigrum eſt, iſque ſanguinem atrum quaſi deterget & elaborat. Lien eſt viſcus rarum, & naturæ diſſolubilis; itaque vitiis, vomicæ puta aut abſceſſui, facile obnoxius.

Digitized by Google

Stomachus voluptatis ac moleſtiæ dux eſt; &, eo quod cordi facultatum omnium principio, ſit vicinus (ſiquidem cordis pulmonumque medio annectitur, & una cum illis ſpinæ adhæreſcit,) ad robur animique ſive firmitatem, ſive demiſſionem, per conſenſum cum anima multum valet. Hæc ſtomachi præcipua eſt facultas Ex voluptate naſcitur bona concoctio, carnoſus corporis habitus, colorque vividus; ex moleſtia his contraria, & interdum animi dejectio, ſtomacho alimenti indigente. Stomachi vero affectus proprii ſunt nauſea, vomitus, cibi faſtidium, ſingultus, eructatio, & ea nonnunquam acida. Licet vero Stomachi conſtitutio in ſtomachicis plerumque ſiti vacet, in eo tamen ſitis origo & fons eſt.

Colon enim, pariter ac ventriculus, concoctioni inſervit; ab eoque ad Jecur deducitur alimentum. Neque vero alimentum omne per canales tantum ſenſibus expoſitos, ſed vel multo majorem ejus partem univerſo corpori natura per vapores ſubminiſtrat, qui ab omni in omnem partem facile tranſeunt, a natura, etiam per ſolida atque denſa, diducti. Colon autem inteſtinum eſt prægrande, & undequaque fuſum atque ſinuatum: tenuibus inteſtinis & carnoſius, & craſſius, & noxæ tolerantius; itaque cum hic inſede-

Digitized by Google

rit dolor colicus, levius eſt periculum. Affectis quippe tenuibus inteſtinis, tenuis & acutus ſubeſt dolor; ubi vero Colon laborat, plurima eſt humoris abundantia & gravitas ei inhæret.

Porro propter illius ſitum atque connexionem, dolor modo ad coſtas pertingit, ac pleuritidis opinionem facit, ſiquidem in his etiam oritur febris; modo hic aut illic ſub iis costis, quæ nothæ vocantur, percipitur; ita ut Jecur, aut Lienis dolere videatur, rurſusque ad ilia deſcendit. Quibusdam etiam ob eandem cauſam oſſi ſacro infigitur, & femoribus, muſculisque teſticulorum qui cremaſteres appellantur; cujus quidem rei rationem ipſe non ignorans Medicorum quorundam inſcientiam perſtringit, qui in hoc caſu Cremaſteras exciderant, quaſi propriam mali cauſam in ſe continuiſſent. Quid recentiores anatomici afferunt ad veritatem propius adductum?

Inteſtinorum, uti ventriculi, ſunt tunicæ duæ, quarum altera alteri oblique ſuperincumbit: quando igitur harum connexio diſſolvitur, uti nonnunquam fit in dyſenteria, interior tunica ſecundum longitudinem abſiſtens foras exit, multisque veritatem ignorantibus excreti ipſius inteſtini metum injicit, & exterior tantum intus remanet, carnem-

Digitized by Google

que contrahit, & ad cicatricem perducitur, homoque ſaneſcit; id inferius inteſtinum tantummodo patitur, quippe cujus tunicæ carnoſæ ſint.

Renes natura glanduloſi ſunt, ſed colore rubicundiores, jocinori potius ſimiles quam mammis teſticulisque; hi enim glandes ſunt, ſed albidiores. Renes autem teſticulorum figuram referunt, magis lati tamen & incurvi. His ſinus inſunt exigui, collo anguſtiori, percolandæ urinæ inſervientes: ex quibus nervoſi duo exeunt, fiſtularum inſtar, canaliculi, ſive ureteres, qui veſicæ humeris utrinque inſeruntur; & ab utroque Rene æqualis eſt ad veſicam urinæ via. Natura ſinus renum oblongos, & ureteribus, qui anguſtiores ſunt, æquales fabricavit.

Veſica craſſitudinis eſt admodum exiguæ, nervuſque natura exiſtit; quapropter neque carnem contrahit, neque ad cicatricem facile perducitur. In repletione diſtenditur, & cum inanis eſt, conſidit; itaque idem in ulcere, quod articulus, in extenſione & contractione, patitur: atqui in articulo omnia difficulter ſaneſcunt ulcera: ad hæc urina bilioſa & acris ulcus, ſi veſicam occupaverit, erodit.

Prope ſe invicem jacent Anus & Veſica, quamobrem in Recti inflammatione, Veſica

Digitized by Google

urinæ difficultate afficitur; & in Veſicæ adfectibus, ſedes nihil dejicit, quamquam haud ſit alvus ſicca.

Membranæ ſunt ilibus affixæ, quæ Uteri ligamenta ſunt nervoſa: harum illæ, quæ Uteri fundo inſeruntur juxta lumbos, tenues ſunt: alteræ juxta cervicem ejus hinc atque hinc Ilibus adhæreſcentes, valde nervoſæ exiſtunt, latæque tanquam navigii vela. Itaque ſi omnes hæ membranæ relaxentur, ſede ſua foras exit Uterus. Apparet aliquando ex duabus Uterum ſuccingentibus Membranis interior, & ab alterius continuitate divellitur: etenim duæ tantum membranæ iſtius diviſuræ ſunt: quarum hæc ob humoris fluxionem abſcedit, ſicut etiam ex abortu & partu violento: tum vero chorio adhæreſcit; nam ſi illud vi adtrahitur, ſimul prodit uteri tunica: at ſi fœmina mortem evaſerit, in ſedem ſuam regreſſa, ei ad amuſſim connectitur, vel paululum extra propendet. Uteri aliquando oſculum, usque ad cervicem duntaxat, prolabitur; ſed ultro ſe recipit, ſi ſuffimenta adhibeantur, vel obſtetricis manu ſenſim placideque reponatur.

Caput ſenſuum Nervorumque originis locus eſt, ſanguinemque à corde potius attrahit quam aliis membris impertit. Itaque cum morbi cauſa Nervis inſit, ſenſus noxa haud

Digitized by Google

vacant. Nervi licet illinc undiquaque oriantur, tamen ſinciput locus omnium ſenſuum communis: ab eoque omnia adjumenta, omnesque noxæ derivantur. Quare in fomentis adhibendis, usque ad verticem tantum, neque ulterius procedere oportet. Neque ſolum ſenſus initium eſſe à Nervis, ſed membrorum actionem & motum omnem ab iis ortum habere, Eraſiſtrati ſequax, voluit ARETAEUS. Proinde ſi infra caput principium aliquod afficiatur, uti Medullæ ſpinalis membrana, partes, quæ eodem nomine vocantur, & etiam continuæ ſunt, reſolvuntur; dextræ, ſi nervi dextri læſi fuerint; ſi ſiniſtræ, lævæ. At ſi mali principium ſit in capite, nervis affectis dextris, ſiniſtræ reſolvuntur partes: lævis itidem patientibus, dextræ. Hujus rei cauſa eſt, quod nervorum ſitus juxta originem invertitur; etenim dextri non in directum ad dextras partes, uſque ad finem, pertingunt; ſed utrique origini ſuæ inſerti, continuò ſe invicem tranſeunt in figuram literæ Græcæ, ad oppoſitam partem tendentes. Utque in ſumma dicam, ſive totum ſimul corpus, ſive aliqua membra, vel ab alterutra, vel ab utraque parte reſolvuntur: nervi interdum, qui a capite oriuntur, laborant, qui, ut paucis dicam, ſenſu facile privantur, ſed per ſeipſos,

Digitized by Google

motum haud ita facile amittunt: iidem, ſi per conſenſum, ab his qui motui inſerviunt, aliquid vitii contraxerint, motus quoque paululum deperdunt: aliquid enim motus, quanquam haud ita multum, naturaliter habent per ſe. Interdum vero læduntur nervi, qui ex aliis muſculis exeuntes in aliis terminantur: & hi ſunt, qui præcipuam motus partem continent, eumque capitis nervis impertiunt; ab iſtis enim plurimum motus hi derivant, licet per ſe habeant paululum; iſti igitur motus defectionem præcipue patiuntur: raro autem, aut, ut ego arbitror, nunquam, per ſe ſenſum amittunt. Et ſi forte faſciculus quispiam nervorum, qui ex oſſe quovis proficiscentes in alio finiuntur fiunt, vel exſolutus fuerit, vel disruptus, impotentes & trahuntur partes, ſenſu tamen non privantur.

Nervis autem morbus proprius eſt, juxta ARETÆUM, Tetanus: iisque præcipuam ineſſe melancholiæ cauſam docet: eos in phrenitide laborare, ac ſæpe contrahi: omnium autem nervorum affectum eſſe Arthritidem.

Hæc fere ad rem Anatomicam ſpectantia expoſuit ARETAEUS; non ut humani corporis fabricam quaſi diſſector doceret, ſed ut, quod Medici eſt, illius notitiam ad morborum rationes explicandas accommodaret;

Digitized by Google

dogmaticorum morem ſecutus, qui, cum interioribus partibus & dolores & morborum varia genera naſcantur, neminem putant his adhibere poſſe remedia; quæ ipſe ignorat. Itaque in hullius magiſtri verba juratus, licet modo ad Hippocratis, modo ad Eraſiſtrati, modo ad Herophili ſententiam accedat, ſuam tamen interea opinionem libere interponit.

DE CURANDI RATIONE, QUAM TENUIT ARETÆUS.

Uti ex proprio, non ex alieno penu hæc de Medendi arte monumenta deprompſit ARETÆUS, ita in eadem natura ductum, & magiſtram, quam ipſe vocat optimam, ſecutus eſt experientiam; nec quidem ille magis in ſtylo efformando, quam in remediis adhibendis, peritus artifex & concinnus. Eo ordine, eo judicio, ita diſtinctè pleneque traduntur curandi rationes, ut vix quicquam in hoc genere ex ſummi ſcriptoris manibus exierit abſolutius. Quæ ab antiquioribus dicta, eorum alia, utpote optima, ſelegit, alia limavit & expolivit: quædam ipſe primus haud infeliciter tentavit. Sed hæc alias:

Digitized by Google

nunc quod hujus loci eſt, varia medendi genera, quibus ille eſt uſus, perbreviter recolamus.

De vomitione. Vomitum cieri, tam in acutis, quam diuturnis morbis, Hippocratis veſtigiis inſiſtens, præcipit ARETÆUS. Quippe ſi bilis aut pituita exundet, ſi cibi corrupti, aut humorum, ſive cruditas ſubſit, ſive copia, ſi accedat nauſea, ſi porro ſtimulo quodam aut corporis contentione uti oporteat, ſi denique altas radices egerit morbus, ita ut cætera in caſſum fuerint remedia, hæc curandi via optimo conſilio adhibetur. Vomitio autem interdum aqua tepida aut oleo, interdum mulſa aut radiculis, idque modo jejuno ſtomacho, modo à cœna & à radicularum eſu commode effici poteſt, ſiquidem leniter agendum ſit. Sin efficacius quid requiratur, Helleborum utrumque commendat, ſed maxime album; ultimum valentiſſimumque omnium evacuantium auxilium. Hoc autem dari jubet cum alica aut lente inciſum ad duas drachmas; vel imbecillioribus cum melle decoctum ad cochlearia duo vel tria. Quod itidem factitavit, ejuſdem diſciplinæ ſequax, Herodotus. Sed alias eaſque haud mediocres virtutes habet Helleborus albus; neque enim vomitum modo provocat, ſed eſt medicamentorum etiam omnium ad humores pur-

Digitized by Google

gandos efficaciſſimum: non excretorum varietate & copia, id enim cholera morbus potentius facit; neque vero intentionibus & violentia inter vomendum, id enim nauſea in mari validius præſtat. Cæterum neque vim neque qualitatem malam habet; quo fit ut laborantibus ſalutem reddat, & per exiguam purgationem, & cum intentione parva. Porro vetuſtorum omnium morborum, qui radices jam altas egerint, cum reliqua auxilia nihil quicquam opis præſtiterint, id unicum remedium eſt: ſiquidem igni facultate par eſt Helleborus albus, & quicquid ignis uſtione facit, illo plus Helleborus albus per interiora diſcurrens operatur: ſpirationem nempe facilem ex difficili, ex malo colore bonum, & ex macie habitum corporis pinguem efficit. Et hanc fortaſſe medicinam libentius adhibuit ARETÆUS, claro ductus Herophili præconio, qui Helleborum fortiſſimo duci ſimilitudine æquabat; concitatis enim intus omnibus, ipſum in primis exire. Id obiter notandum, ab ARETÆO præcipi vomentia, non modo ut primæ viæ expurgentur, aut quicquid crudi ventriculo inhæſerit, ſurſum ejiciatur, quod quidem unice veteres attendiſſe videntur; ſed ut motu illo vehementi & contentione qua inter vomendum ventriculus cæteraque viſcera cientur, tum ſoli-

Digitized by Google

dæ partes ſuccuti ac ſtimulari, tum humores aut reſolvi aut revelli poſſint. Itaque omnibus fere in capitis morbis vomitum excitari jubet. Et recentior experientia nos abunde docuit, quam vim in morbis chronicis, ubi altas radices egerint, exerceat hæc medendi via, præſertim in iſchiade, in tumoribus œdematoſis, in ictero.

De purgatione. Purgantia, in morbis pleriſque chronicis, vel ad educendos humores, vel ad revellendos, vel ubi quid ſtimulo cieri oporteat, paſſim adhibet ARETÆUS. Horum alia ex media materia, uti thymus atticus, coccus cnidius, aloë, hiera, quam quidem ad drachmas duas dari præcipit: alia ex valentiore conſtant, ut cneorum puta, elaterium, æs combuſtum, & Helleborus niger. Efficaciſſimum vero omnium vel ſurſum vel deorſum purgantium, helleborus albus eſt. Et his quidem vel per ſe vel cum ptiſana & mulſa uti convenit.

De clyſteribus. Alvus itidem ducitur ope enematis, idque commode, ſiquid in inteſtinis emolliendum aut excernendum ſit, vel ſi quid à viſceribus aut à capite revellendum. Itaque in omnibus fere morbis, quos comitatur inflammatio, perpetui ſunt uſus. Enematum materia pro varietate morbi multiplex eſt; ſal, nitrum, hyſſopus, ruta, centaureum,

Digitized by Google

taureum, terebinthina, caſtoreum, ex oleo vel aqua decocta. Quod ſi ſtimulo opus fuerit, injicienda ſunt acriora, quæ pituitam & bilem educant, veluti euphorbium ac colocynthis.

De ſanguinis miſſione. Sanguinem in morbis quibuscunque, ſive diuturnis ſive acutis, utut in his frequentius, mitti jubet ARETÆUS. Etenim cum acuti ſint, perſæpe ita in præcipiti ſtat vita, ut niſi hæc medendi via malum abegerit, illico moriendum ſit: igitur ille, cunctatione omni abjecta, hoc auxilii genus præ cæteris eſſe tentandum judicat. Quare cum ſanguis incenſus fuerit, ut in peracutis morbis plerumque accidit, venam mature atque fidenter aperit. In renum inflammatione v. gr. expedite & copioſe. In angina ſanguinem educit, latiori inciſione, ut cum impetu & confertim exeat, quoniam ita fluens erit & ad calorem quam citiſſime mitigandum, & ad ſtrangulationem ſolvendam, & ad reliqua omnia mala imminuenda efficax: in pleuritide primo die & iterum eodem die extrahit: in peripneumonia & Jecoris & venæ cavæ inflammatione, duarum ſimul venarum ſectionem præcipit: in omni denique hæmorrhagia, actutum, eo judice, ſecanda eſt vena, & aſſidue, poſtquam paululum ſanguinis detractum ſit, ite-

Digitized by Google

rum detrahendum eſt, & eodem die, & poſtridie, & die perendino. Ita in venæ cavæ inflammatione idem opus ſæpius repetit. Sed ſanguinem mittere uti frequenter eſt res admodum delicata & nonnunquam periculi ſatis plena, ita acerrimo judicio utendum eſſe monet: quo fit, ut in angina, pleuritide, peripneumonia, qui morbi ſunt maxime præcipites, utcunque quoad anima deficere incipiat, continuari debeat ſanguinis detractio, non tamen quoad omnino defecerit, eum fluere ſinendum ſit. Etiam in apoplexia præſtat, inquit, debito minus mittendo delinquere: nam ſi largiori detractione opus eſſe videatur, & bonæ aliquæ appareant notæ, vena poteſt iterum incidi. Ad eundem modum in Jecoris & venæ cavæ inflammatione, in cephalæa, in melancholia, multus ſed non confertim, bis nempe ac ter, idque alio die, mittendus eſt ſanguis, ut vires interim confirmentur. Idem in omnibus diuturnis morbis præſtare convenit.

Venas autem in diverſis corporis partibus, præcipue quidem in cubito, & in talo, quandoque autem ſub lingua, in fronte, in naribus, in pube, incidere jubet. Primus autem ex ſcriptoribus, quorum opera his diebus ſuperſunt, venæ ſectionis in manu, mentionem facit ARETAEUS: in eo loco, ubi con-

Digitized by Google

tra medicos quoſdam diſputat, qui ſiniſtræ manus venam illam, quæ inter minimum digitum atque annularem jacet, in rejectione ſanguinis, incidi voluerunt: primus itidem menſuram ſanguinis, quæ aliquando emitti debeat, ad heminam ſcilicet, aut ad heminæ dimidium, præſcripſit: quod quidem accuratiſſimi ſcriptoris, Cl. Danielis Clerici, diligentiam fugit, cum ARETAEUM de hac re nihil prodidiſſe affirmet.

Hæc de venarum ſectione. Secuit etiam, nullo quod ſciam authore inductus, in cephalæa, vertigine atque epilepſia, arterias: easque ad verticem, ad oculi angulos, juxta naſum, eas tum ante, tum pone aurem ſitas, earumque majores quidem ramuſculos aperiri commode poſſe ſcribit: quanquam harum utique, quæ anterius ad aurem jacent, nullam apud ſcriptores mentionem fieri perperam affirmet Severinus.

De Cucurbitulis. Cucurbitularum uſus apud ARETÆUM uti & apud Hippocratem frequentiſſimus, in omnibus fere morbis, ubi ſanguinem mitti oporteat: idque tam in lentis quam in ſubitis caſibus; in lethargo, cephalæa, melancholia, epilepſia, cœliaca atque iliaca paſſione, ac etiam hyſterica, perinde ut in apoplexia, tetano, phrenitide, ſyncope, peripneumonia, cholera, jecoris,

Digitized by Google

aliarumque partium, inflammationibus. Et hoc quidem ille factitavit, pro morbi natura, diversimode, & in variis locis. In melancholicis, cucurbitas jecinori & ventriculo, aut hujus ori admovet; dorso item aut inter scapulas, qua parte adhæresçit illi stomachus. In phreniticis, atque lethargicis, vertici potius; in apoplecticis, & tetano correptis, occipiti imprimendas esse censet. Et in hoc ultimo quidem affectu eæ ab utroque spinæ latere applicandæ: sed parum admodum flammæ adhibendum: nam arcta cucurbitulæ labiorum impressio dolores convulsionesque excitat: oportet ergo diu trahere, ac leniter potius, quam brevi tempore festinantes id efficere. Contra in pleuritide, cucurbitula debet esse magna, undequaque lata, & ad dolentem locum ambiendum capax: multaque sub ea flamma succendenda est; non modo ut carnem attrahat, verum etiam, ut ante ignis extinctionem calefaciat. Extincto igne, si scarificando tantum sanguinis detraxeris, quantum vires permiserint, evidentissimum est in pleuriticis auxilium.

Cucurbitulas etiam siccas, sine ferro, quas ἀσφας vocant, adhibet, aut coxis easque dorso aut inter scapulas, aut abdomini infra umbilicum affigi præcipit.

De sanguisugis. Restat & alia sanguinis

Digitized by Google

mittendi via, ab Hippocrate & veteris ævi medicis haudquaquam memorata: eam primus, hirudinum ope, inſtituiſſe vel ſaltem ſcriptis mandaſſe, videtur Themiſon, Aſclepiadis auditor, qui ætate paulo ARETAEUM præcurrit. Sed utcunque hoc fuerit Themiſonis inventum, nulla ejus apud Celſum nec etiam apud Galenum occurrit mentio. ARETÆUS autem hirudines tribus in locis admoveri jubet: in ſatyriaſi nempe ad ſanguinem ex intimis locis educendum; in cœliaco affectu, eas poſt cucurbitulas apponit: in jecoris denique inflammatione, nonnullis hirudines magis quam ſcarificationem prodeſſe ſcribit: ſiquidem beſtiolæ morſus interius deſcendit, & majores eroſiones facit: unde ſanguinis profluvium, ab his concitatum, ægrius ſupprimitur. Poſtquam autem animal ſaturatum exciderit, cucurbitulam affigit, quæ ex intimis partibus ſanguinem jam attrahat.

De medicamentis: ut in ſignis morborum explicandis, ea præcipue quæ ad prognoſin pertinent, ARETÆUS Hippocratis authoritate ſtabilivit, (quem Celſo teſte, recentiores quoque medici, quamvis quædam in curationibus mutarint, tamen hæc optime præſagiſſe faſſi ſunt); ita in acutorum curatione ejuſdem veſtigia preſſe ſecutus eſt, præſertim quoad victus inſtitutionem, ac miſſionem ſanguinis.

Digitized by Google

Medicamenta, in peracutis affectibus, præter vomitoria & purgantia, per os ſumenda, aliquando præcipit: ſed ea neque varia admodum, neque multiplicia.

Horum quippe ægrotantium optimam medelam, eodem duce, ab alimento peti judicavit; neque raro ea, quæ ægrotantibus offert, medicamenta eorum cibo, quaſi furtim, immiſcet. Cibum vero cunctis febricitantibus humidum eſſe aptiſſimum poſt medicinæ parentem docet: ptiſanæ præſertim varias præparationes exhibens, ejuſque virtutes magiſtri ſui verbis prædicans; ita ut ad febrilem æſtum temperandum ſorbitionibus potiſſimum confidat. Itaque ſive urinam cieri, ſive humores attenuari, & incidi, ſive ſputa educi, ſive alvum liquari cupit, cum ptiſanis atque juſculis modo ſimplicibus, modo in quibus medicamenta ad id idonea diſſolvuntur, id exſequitur. Utcumque autem victu tenui in febribus utatur, in iis tamen, ubi vires jam deficiunt, ſicut in morbo cardiaco, ſive is per ſe, ſive ex alio, ut phrenitide, oriatur, a paulo largiori cibo, vinique præſertim potione, nullis adhibitis medicamentis, ſubſidium unicum petit. Vinum enim, inquit, in ſubſtantia celeriter alit, uſque ad extrema ubique permeat, robori robur adjicit, ſpiritum torpentem excitat, frigus calore temperat,

Digitized by Google

humorum redundantiam comprimit, extrorſum erumpentia atque diffluentia coërcet: ad hæc odore ſuave ac jucundum eſt, ad confirmandas vires vitamque reſtaurandam valens, & ad mentem in furore mitigandam efficaciſſimum. Eo itaque uti præcipue cardiaco utitur, ſed cum ea cautione, ut neque in inflammationibus propinetur (quoniam in his dolores auget) ſed ubi hæ abſunt, naturam inſtauret, neque ità meracum, ut hominem inebriet nervosque offendat. Id ideo cum cibo aquaque mixtum alias dari præcipit, eam mediocritatem interim ſecutus, ut neque æger inedia conſumatur, neque cibi copia opprimatur. Hac præcipue via in curatione acutorum, quibus febres conjunguntur, nititur: vix niſi in pleuritide quidem & peripneumonia medicamenta paulo largius adhibens, ea ſcilicet quæ humores extenuent & ad tranſpirationem idoneos reddant, quæque eoſdem lubricos fluxosque ita ut per ſuperiora educi poſſint, efficiant. In his itidem duobus morbis medicamenta ſomnifera devorari jubet, quæ ut antiqui omnes perraro præceperunt, ita ſub mortem, quanquam hanc ab iis acceleratam minime ſenſiſſe videatur, communi autem præjudicio deterritus, uſurpari vetat. Nam ſi, inquit, in ipſo ſtrangulatus impetu & morbo appropinquante, id genus

Digitized by Google

medicamenti exhibeas, te necis authorem vulgus esse arbitrabitur. Siquidem & anodynis in ileo uti haud dubitat, theriaca puta, &c. licet in eodem morbo somnifera medicamenta medico vix adhibere licere dixisset, nisi ita ut, cum præsentia mala haud evitari posse manifeste prævideat, ægrum aliquando gravitate capitis torpida sopiat.

Ex omnibus autem, quotquot adhibet, tam ad acutos quam diuturnos morbos, medicamentis, præcipue castoreo utitur: utpote quod nervorum morbis mederi censeat, in lethargo scilicet, apoplexia, tetano, suffocatione hysterica, satyriasi, epilepsia, gonorrhæa. Id itaque cum inter omnia concoctionem promoventia excellat, modo potui dat, modo in intestina infrà injicit, modo in nares, utpote omnium sternutamenta excitantium optimum, inspirat: externis denique applicationibus, perfusionibus scilicet, illitionibus, & cataplasmatis immiscet. In curandis autem morbis diuturnis paulo frequentius medicamenta præcipit, quorum præcipua sunt quæ ad concoctionem faciunt, uti absinthii succus, theriaca, mithridatium, Bestini antidotus, castoreum, &c.

Præcipit etiam ea quæ urinam movent, uti in jecoris abscessu & renum affectibus: aliquando & sudorem moventia quæque perspirationis vias fluxiliores efficiunt,

Digitized by Google

præſcribit. Sed nuſpiam ita prolixus eſt in remediis adhibendis, ac in morbo illo omnium contumaciſſimo, elephantiaſi. Id quidem obiter notandum, quod Hippocratem ſecutus uti quiete in acutis multum utitur, ita ad diuturnos exercitia maxime commendat. Horum ille varia genera perſcribit: quæ non modo in diuturnis morbis adhiberi vult, ſed etiam poſt acutorum deceſſum, ubi ii in longos tranſiverint. In ordinanda victus ratione valde accuratus eſt: præſertim omnia quæ ad lactis aſinini, caprini, equini, ovilli, etiam muliebris uſum pertinent, multis in locis fuſius exponit.

Quod ad externa remedia ſpectat, ea tam in acutis quam diuturnis morbis frequentiſſime uſurpat. In hoc quidem cum Methodicis maxime congruens, uti etiam in evidentium ſignorum deſcriptione; cum alioqui tam in cauſis ſubtilioribus enarrandis, ex anatomia ſcilicet petitis, quam in magnorum remediorum indicationibus, ab iis ut plurimum diſſentiat. Itaque perfuſiones, epithemata, fomenta, illitiones, cataplaſmata, ſuffimigia, embregmata, balnea, &c. omnis fere pagina deſcribit, ad refrigerandum & calefaciendum, ad humectandum & ſiccandum, ad relaxandum & aſtringendum, ad emolliendas partes & roborandas, ut humores per habitum digeran-

Digitized by Google

tur, ut corpora fluxa & ad perſpirationem apta reddantur. Horum materia modusque quo adhiberi debeant ubique occurrit. De ſinapiſmis itidem & phœnigmis frequens eſt mentio : in quo auxilii genere ſæpius cum ARCHIGENE convenit, qui, docente AETIO, de his multa ſcriptitavit.

Quædam denique ex Chirurgia petit; in epilepſia terebram cranio adhibet; in capitis dolore, uſtionem; ferramentum igne candens in abſceſſu jecoris ſuadet; de aſpera arteria ſecanda loquitur, quamvis ſectionem ipſam improbat. In calculoſis veſicam incidi jubet, locumque inciſionis deſignat: ad urinam eliciendam cathetere, niſi inflammatio adſit, utitur. Hæc fere habet Chirurgica: & ſane dolendum eſt periiſſe ea, non modo quæ de hoc ipſo argumento ſcripſit, ſed quæ de omni genere febrium, quæ de morbis mulierum, quæ de Pharmacia ſeorſim expoſuit. Ingens ſane hoc rei Medicæ diſpendium, quod vel minima ſcriptoris elegantiſſimi monumenta interciderint.

Digitized by Google

ALB. VON HALLER

AD

ARETÆUM PRÆFATIO.

DOctam J. WIGGANI præfationem nolui premere. Sunt tamen aliqua, quæ merito addas, tum quod nonnulla Cl. Viri placita recipere nequeamus, tum quod memorabilia aliqua ARETÆI merita prætermiſerit, qui a medicina fuerit alienus.

Et primum conjecturam illam, qua ARETÆI opera putantur cum ARCHIGENIS nomine ad poſteros deſcendiſſe, nihil firmi habere videtur. ARCHIGENES ut pneumaticus fuerit, tamen ſcripſit ad empiricorum morem, toties a GALENO (*a*) reprehenſus, quod neque cauſas morborum, neque diſcrimina temporum adnotaverit: quod demum nullo delectu inſecura ſæpe & infida medica-

(*a*) Comp. med. ſec. loc. L. VIII. L. III. L. VI. &c.

Digitized by Google

menta alia aliis ſine fine ſubſtituerit, quod quidem vitium in omnibus ARCHIGENIS locis reperias, qui a GALENO conſervati ſuperſunt. Sed ARETÆUS & cauſas & ſigna & tempora morborum ſollicite adnotavit: in ſerie etiam medicamentorum, utut aliquanto fuit uberior, nullo modo tamen ad vitioſam illam ARCHIGENIS abundantiam ſe dimiſit. Ingenioſe etiam magis quam ARCHIGENEM, & quaſi poetice ſcripſiſſe vulgo notum eſt, & demum Jonice, quod non reperias in ARCHIGENIS locis.

Si peculiaria Viri merita requiſiveris, multa certe ſunt. Quare addo iis quidem, quæ WIGGANUS anatomici & phyſiologici argumenti citat, hæc fragmenta.

Columella nervus eſt humidus, eſtque bipartita (*b*).

Eadem producta fiſtulæ fit ſimilis (*c*).

Uteri mira mobilitas (*d*).

Lien ſenſu caret (*e*).

Renes glandulæ ſunt candidiores, ſinus habent exiguos, ad lotium excolandum cribrorum inſtar foraminibus pervios. Ex utroque nervoſi tamquam fiſtulæ canaliculi ex-

(*b*) Cauſ. Acut. I. c. 8.
(*c*) Diut. I. c. 7.
(*d*) Cauſ. Acut. II. c. 11. Cur. II. c. 10.
(*e*) Cauſ. Diut. II. c. 4.

Digitized by Google

pullulant, qui in veſicæ terga ſe inmittunt (*f*).

In Jecinore ſanguinis eſt creatio & in totum ſanguinis a jecore emanatio, atque omnino jecur eſt quaſi ſanguis gelatus (*g*). Ab hepate πόροι ſive ductus ad renes tendunt, & opportunus ex ſede tranſitus eſt; poteſt ergo de hepate humor per renes revelli (*h*). Hic omnino putes, vaſa lymphatica ab hepate ad ciſternam tendentia auctori hujus adnotationis in animo fuiſſe.

Venæ valde latæ renes de hepate ſuſpendunt, & utrumque viſcus una inflammatur (*i*). De vena cava ſermo eſt ab hepate ad ſpinam dorſi tendente.

Sanguis arterioſus floridus a nigro venoſo differt (*k*).

Videtur nonnunquam diploes uteri intus ſuccingens tunica, quando a contingente altera divellitur, foras procedere. Hæc etiam decedit in abortu & violento partu, quando ipſa ſecundis adhæreſcit, nam quando ipſæ vi extrahuntur, ſimul & uteri tunica extrahitur (*l*). Locum habet WIGGANUS,

(*f*) Cauſ. Diut. II. c. 3.
(*g*) Cur. Acut. II. c. 6.
(*h*) ib.
(*i*) ib. c. 8.
(*k*) Acut. cauſ. II. c. 2.
(*l*) Diut. cauſ. II. c. 11.

Digitized by Google

ſed monendum videtur, ARETÆUM de membrana iſta decidua omnino cogitaſſe, ut nuper HUNTERUM.

Quinta fibra hepatis (lobulus) (*m*).

Ligamenta denſa, inſenſilia ſunt, ſentiunt vero quando incaluerunt (*n*). Quæ omnino nupera WHYTTII eſt theoria.

Ad morborum hiſtoria. In epileptico paroxyſmo ſemen profluit (*o*).

In tetano lotium vidit ſupprimi (*p*). Rarus eventus, cum vitalia viſcera in convulſionem animalis organi vix convellantur.

Canis rabidus ſolo halitu rabiem communicat (*q*).

Ulcera tonſillarum, gangrænoſa nempe angina (*r*).

Ex lateris morbo malum in veſicam decubuit (*s*).

Bubon peſtilens (*t*).

In Cauſo ægri ante mortem vaticinantur (*u*).

Veſicæ pareſis (*x*).

(*m*) Acut. cauſ. c. 8.
(*n*) Diut. cauſ. II. c. 12.
(*o*) Acut. cauſ. I. c. 5.
(*p*) ib. c. 6.
(*q*) ib. c. 7.
(*r*) ib. c. 9. & curat. I. c. 9.
(*s*) Cauſ. Acut. II. c. 2.
(*t*) c. 3.
(*u*) c. 4.
(*x*) Diut cauſ. I. c. 7.

Digitized by Google

Hydatides, hydropis genus, quod nunquam vidi per inteſtinum exiviſſe, alii viderunt (*y*).

Calculos vidi hamatos (*z*).

Ad curandos morſos.

Ipſe abſceſſum laxioris inteſtini aperui (*aa*).

Calculus major curari non poteſt (*bb*).

Mors a venæ ſectione nimia (*cc*).

In renum inflammatione optimum lac aſinæ aut equæ (*dd*).

Cicadæ ad morbos veſicæ urinariæ (*ee*).

In cephalea penna anſerina ſanguinem de naribus trahit (*ff*).

Cantharides ad frictiones adhibitæ in epilepſia, quod primum verum exemplum eſt admoti medicamenti veſicas trahentis. Non tamen undique novam rem eſſe putes, cum moneat uctor, ut lacte æger muniatur, cum cantharides veſicæ moleſtæ ſint (*gg*).

Ad lienis ſcirrhos igne utitur (*hh*).

Non dedignabatur vir magnus arcana pro-

(*y*) ib. Lib. II. c. 1.
(*z*) c. 3.
(*aa*) Diut. cauſ. I. c. 9.
(*bb*) ib. L. II. c. 4.
(*cc*) Cur. acut. I. c. 7.
(*dd*) ib. Lib. II. c. 8.
(*ee*) ib. c. 9.
(*ff*) Diut. cur. I. c. 2.
(*gg*) ib. c. 4.
(*hh*) Diut. cur. II. c. 11.

Digitized by Google

pria. Malagma enim ad ventriculi mala ſuum citat quod ſit (*ii*).

Pauca hæc ex multis excerpſi, qui malim diligentem hujus eximii ſcriptoris lectionem juvenibus commendare.

Cæterum in hac noſtra editione curavi, ut capita reſtituerentur, quæ in ſecundo libro curationum morborum diuturnorum poſt J. PAULI CRASSI editiones acceſſerunt. Neſcio quomodo & in Patavina anni 1700, & in nupera Argentoratenſi editione omiſſa fuerunt. Verſionem, quæ quidem paſſim valde mihi diſpliceret, hinc inde tacitus emendavi. Indicem operi utilem adjecit, diligenter ſcriptum, PHIL. RUD. VICAT M. D. filius docti J. C. & feminæ ob induſtrium apum cultum merito celebris, noſtræque Societati œconomicæ adſcriptæ. Vale LECTOR BENEVOLE, & TRALLIANI editionem exſpecta, in qua nunc occupamur, & quem ultimum Græcorum uſibus publicis deſtino.

BERNÆ die 1. Aug. 1771.

(*ii*) ib. c. 7.

INDEX

Digitized by Google

NDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS ſine principio.

De cauſis & ſignis acutorum Morborum.

Hæc ſunt reliqua hujus Libri Capita. prima enim quatuor perierunt.

Cap. pag.

5. *De cauſis & ſignis acceſſionis morbi comitialis*, ſine principio. 1
6. *De Tetano*, ſeu *Rigore*. 5
7. *De Angina*. 8
8. *De affectibus Columellæ*. 11
9. *De Tonſillarum ulceribus*. 12
10. *De Pleuritide*, id eſt, *morbo lateris*. 15

LIBER SECUNDUS.

De Cauſis & Signis acutorum Morborum.

1. *Peripneumonia*. 18
2. *De Hæmoptoe*. 21
3. *De Syncope*. 28
4. *Cauſo*, id eſt *febre uſtoria*. 30
5. *De cholera*. 31
6. *De Ileo*, græce *vocato*, latine *Volvulo*. . 33
7. *De acutis Jecoris affectibus*. . . . 35

Digitized by Google

Cap. pag.

8. *De Venæ concavæ acuto morbo.* . . . 37
9. *De Renum acutis affectibus.* 40
10. *De acutis in Vesica ægritudinibus.* . . 42
11. *De Uteri strangulatu.* 44
12. *De Satyriasi.* 46

LIBER PRIMUS.

De causis & Notis diuturnorum Affectuum.

1. De *diuturnis affectibus, Proœmium.* . . 49
2. De *Cephalæa.* 50
3. *De Vertigine.* 52
4. *De Morbo comitiali* 53
5. *De Melancholia.* 55
6. *De Furore.* 58
7. *De Nervorum resolutioue seu Paralysi.* . 61
8. *De Phthisi.* 68
9. *De purulentis.* 70
10. *De Pulmonis vomica.* 74
11. *De Asthmate, sive Anhelitu.* 75
12. *De Pulmonariis.* 77
13. *De Jecore suppuratis.* 78
14. *De Liene.* 82
15. *De Morbo regio.* 84
16. *De Cachexia, sive de malo corporis habitu.* 89

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

De signis & causis diuturnorum morborum.

Cap. pag.

1. *De Hydrope, hoc est, Aqua inter cutem.* 93
2. *De Diabete, sive urinæ profluvio.* . . . 99
3. *De renum affectibus.* 101
4. *De Vesica affectibus.* 105
5. *De Gonorrhœa* 107
6. *De Stomachi affectibus.* 109
7. *De affectu ventriculi.* 112
8. *De colicis, id est intestini plenioris morbo laborantibus.* 114
9. *De Dysenteria, id est, difficultate intestinorum.* 115
10. *De Lienteria.* 120
11. *De Uteri morbis.* 121
12. *De Arthritide, & Ischiade*, id est, *Articulorum, & Coxendicis dolore.* 125
13. *De Elephantiasi.* 130

LIBER PRIMUS.

De Morborum acutorum Curatione

Proœmium. 138
1. *Curatio Phreniticorum.* 139
2. *Curatio Lethargi.* 149

Digitized by Google

Cap. pag.

3. *De curatione Tabis.* 154
4. *De Curatione Apoplexiæ.* 155
5. *De comitialis acceſſionis curatione.* . . 160
6. *De Curatione Rigoris, quem Tetanum vocant.* 162
7. *De curatione Anginæ.* 165
8. *De curatione columellæ.* 168
9. *De curatiane peſtilentium in faucibus morborum.* 170
10. *De curatione Pleuritidis, ſeu morbi lateris.* 171

LIBER SECUNDUS.

De acutis Morbis curandis.

1. *Curatio Peripneumoniæ.* 179
2. *De Hæmorhagiæ curatione.* 182
3. *De Curatione Cardiacorum aut Syncopæ.* 189
4. *Curatio Choleræ.* 196
5. *Curatio Volvuli.* 199
6. *Curatio acutorum Jecoris vitiorum.* . . 202
7. *Curatio acuti morbi dorſalis Venæ & Arteriæ.* 204
8. *Curatio nephritidis.* 206
9. *Curatio acutorum Veſicæ affectuum.* . . . 208
10. *Curatio Hyſtericæ ſuffocationis.* . . . 209
11. *Curatio ſatyriaſis.* 212

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

De Diuturnorum Morborum Curatione.

1. *Proœmium.* 215
2. *Curatio Cephalææ.* 216
3. *Curatio Vertiginosorum.* 223
4. *Curatio morbi Comitialis.* 228
5. *Curatio Melancholiæ.* 233
6. *Curatio Furoris.*
7. *De nervorum resolutione curanda* } deficiunt.
8. *De Curatione Phthisis, seu ulcerum pulmonis.* 238
9. *De Purulentis curandis*
10. *De Pulmonis abcessuum curatione*
11. *De Curatione Asthmatis*
12. *De Pulmonariis curandis* } desiderantur.
13. *De Curatione ulcerum Jecoris, & puris ab eo effusionis.* 240
14. *Curatio Lienis.* 278
15. *Curatio morbi regii*
16. *Curatio Cachexiæ.* } perierunt.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

De Curatione tardarum ægritudinum.

Prima undecim Capita perierunt.

Cap. pag.

1. *Curatio Hydropis.*
2. * *Curatio Diabetis.* 244
3. * *Curatio calculorum & ulcerum in renibus.* 245
4. *Curatio Veſicæ vitiorum.*
5. * *De Gonorrhœa curanda.* 246
6. * *Curatio ſtomachi affectuum.* 248
7. * *Curatio affectus Ventriculi.* 249
8. *Curatio dyſenteriæ.*
9. *Curatio Lienteriæ.*
10. *Curatio Uteri morborum deeſt.*
12. carens principio. *De Curatione Arthritidis & Iſchiadis.* 250
13. & ultimum *Curatio Elephantiaſis.* . . 252

ARETÆI

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS
MEDICI INSIGNIS
DE
CAUSIS ET SIGNIS
ACUTORUM MORBORUM
LIBER PRIMUS
ſine principio,
JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO
INTERPRETE.

Hæc ſunt integri Libri Capita, ex quibus prima quatuor perierunt.

De Phrenitide. . . . . . *Cap. I.*
De Lethargo, ſeu Veterno. . . *Cap. II.*
De Tabe. . . . . . *Cap. III.*
De Apoplexia. . . . . . *Cap. IV.*
De Acceſſione morbi comitialis. . *Cap. V.*
De Tetano ſeu Rigore. . . . . *Cap. VI.*
De Angina. . . . . . *Cap. VII.*
De Affectibus columellæ. . . . *Cap. VIII.*
De Tonſillarum ulceribus. . . . *Cap. IX.*
De Pleuritide. . . . . . *Cap. X.*

De Cauſis, & Signis acceſſionis morbi comitialis. Cap. V. ſine principio.

. . . . . .

hebetudines, vertigines, tendonum gravitates, venarum colli repletiones, & diſtentiones: nauſea frequentius quidem a cibis; non minime

Digitized by Google

tamen, & ab inedia puſilla quædam nauſea ſequitur: & uberior pituitæ fit vomitus; paucis aſſumptis cibis faſtidiunt, & crudi ſunt: flatibus replentur: præcordia elata habent. Hæc ſane perpetuo comitantur.

Cum vero acceſſio appropinquat, ſplendores quidam purpurei, aut nigri, aut omnes una permixti, ob oculos in orbem verſantur, ac diſcurrunt: ut in cælo Iris prætenta eſſe videatur: fœdum odorem ſentiunt: aures ſonant, iracundi fiunt: bilis præter rationem accenditur. Quidam igitur levi de cauſa, utpote ob animi angorem, ceciderunt: aliqui intente fluminis decurſum, aut rotam, quæ circumvolvitur, aut turbinem, qui in orbem agitur, conſpicati: alios autem rerum graveolentia, ut gagatis lapidis odoratus proſtravit. His utique in capite vitium inhæſit, atque inde noxam inferens ortum habet. Nonnullos vero, & corripit a nervis procul a capite poſitis incipiens, quicunque principium in conſenſum affectus inducunt. Itaque magni manuum, aut pedum digiti convelluntur: unde & dolor, & ſtupor, & tremor ſequuntur: atque hæc in caput impetum faciunt, ſi & malum ſurrepens caput invaſit. His porro fragor quidam redditur perinde, ac ſi ab ligno, aut lapide verberentur: cumque ab humo ſurrexerunt, quædam tanquam ſi ex inſidiis vapulaſſent, commemorant: hoc ſane pacto illi, quibus primo id malum incidit, decipiuntur. Quibus vero familiare, & conſuetum eſt, ſimul atque morbus in digitum impetum dedit, aut inde exortus eſt, uſitatos, qui adſunt, adjutores inclament, futuramque ab experimento calamitatem proſiciunt: obſecrant quoque ut membra, unde oritur, conſtringant, reflectant, dirigant: quin etiam ipſimet ſibi ipſis affecta membra, tan-

Digitized by Google

quam inde morbum eximentes trahunt, velluntque, atque ita ſibimet auxiliantes, nonnunquam & nos ad ægritudinis notitiam impulerunt. Nonnullos utique ceu invadente fera pavor corripuit, aut adumbrationis opinio inceſſit, atque ita prociderunt. At in ipſo morbi inſultu ſenſibus captus homo jacet: manus ipſi nervorum diſtentione convelluntur: crura vero non ſolum diſtracta ſunt, ſed etiam huc atque illuc a tendonibus projiciuntur. Id genus calamitas jugulatis tauris haud abſimilis eſt: cervix incurvatur, caput, varie diſtorquetur: ſi quidem nonnunquam pronum, ceu arcus inflectitur, quando pectori maxilla adhæreſcit: nonnunquam vero in ſcapulas refringitur: veluti his, qui per vim crinibus trahuntur, uſuvenit: quando modo in hanc, modo in illam partem ad humeros admovetur. Sic laborantes magno hiatu os aperiunt: id ſiccum habent, linguam prælongam, ut periculum ſit, ne aut magno vulnere ſaucietur, aut penitus abſcindatur. Interdum convulſione dentes inter ſe colliduntur: oculi inverſi ſunt: palpebræ cum palpitatione frequenter dehiſcunt: quod ſi quando connivere velint, palpebræ non committuntur, ſed alba oculorum cernuntur, ac ſubapparent. Supercilia nonnunquam, ut his, qui ad iram concitantur, in glabellam attrahuntur: nonnunquam ad tempora vehementer admodum revelluntur: ut cutis circa frontem valde prætenta ſit, atque in ſuperciliorum medio rugæ evanuerint. Malæ rubentes palpitant. Labia interdum quidem in acutum clauduntur: interdum vero ad obliqua dilatantur: quando in ridentis ſpeciem dentibus circumtenduntur. Malæ rubent quidem, ſed cum morbus increvit, & faciei livor accedit: cervicis vaſa diſtenduntur:

Digitized by Google

vox, ut in ſtrangulatu, aufertur: etiam ſi vehementer inclames, non ſentiunt: eorum vox nihil niſi gemitus, & ſuſpirium eſt: reſpiratio vero ſuffocatio quædam eſt, veluti in his, qui laqueo ſtrangulantur. Inter initia arteriarum motus vehementes ſunt, & celeres, & parvi: in fine vero magni, tardi, & languentes: in univerſum autem ordine carentes. Penis quoque arrectio ſequitur. Hæc utique circa acceſſionis finem patiuntur. Ubi ad mali remiſſionem perveniunt, tunc ſponte urinam reddunt, alvus fluit: nonnullis etiam adſtrictis compreſſisque vaſculis genitura excernitur: id vero, & dolore irritante, & humiditate erumpente accidere poteſt: ſiquidem & iſtis nervorum dolores fiunt. Ad hæc os vehementer humidum habent: pituitam multam, craſſam, & frigidam: eam ſi trahas, in longum, veluti filum, ipſius multitudinem deduces. Porro temporis longitudine, & laboris vehementia, quæ intra pectus ſunt, fervent: ſpiritus vero intus coercitus omnia concutiet: eorundem quoque & convulſio, & perturbatio ſequitur: inter reſpirandum præterea humores, & os, & nares inundant: ſpiritus cum humore effertur. Cum præcedens vero ſtrangulatio remittit, omnia item remittere videntur. Quin etiam, ut magnis procellis concitatum mare, ſpumam ore profundunt: quando, & tanquam jamdudum expulſo morbo reſipiſcunt, & reſurgunt. Cæterum cum a morbo quieſcunt, ab initio membris ſegnes ſunt: capitis gravitate premuntur: diſſoluti ſunt, languidi, pallentes: conſternati animo ob laſſitudinem morbique verecundiam contriſtantur.

Digitized by Google

De Tetano, seu Rigore. Cap. VI.

TETANI musculorum, qui in maxillis sunt, & tendonum distentiones sunt, dolorem quidem magnum inferentes, celerrime vero necantes, haud facile quoque sanabiles. At noxæ ab hoc malo cum omni corpore communicantur: omnia enim cum principiorum vitiis consentiunt. Species vero convulsionis tres sunt, cum rectum corpus riget, aut retrorsum flectitur, aut prorsus versus incurvatur. Recto quidem corpore Tetanus dicitur, cum neutram in partem detortus homo, atque inflexilis contentus est. At convulsiones, quæ retrorsum, aut in priorem partem fiunt, a tentione, & loco nomenclaturam accipiunt. Nam in aversam partem ægrotantis reclinationem Opisthotonon vocamus, nervis, qui eo loci sunt, male affectis. Emprostotonon autem, si in priorem partem homo deflectitur, nervis anterius positis laborantibus. Tonus enim nervorum, tentionisque vocabulum est. Causæ autem istorum infinitæ sunt: nam ob vulnera fieri solent, membrana, aut musculis, aut nervis punctis, ex quo plerumque moriuntur. A vulnere enim convulsio lethalis est. Convellitur autem, & ex abortu mulier: verum, & hæc raro admodum evadit, & ab aliquo vehementi cervicis ictu nonnulli convelluntur. Et frigus longe excellens horum vitiorum causa esse potest. Quapropter hiems omnium maxime horum vitiorum ferax est, secundo loco ver & autumnus, æstas autem minime, nisi vulnus præcesserit; aut peregrini morbi grassentur in vulgus. Mulieres sane magis, quam viri, nervorum distentione tentantur: frigidæ enim sunt: verum ipsæ

Digitized by Google

frequentius liberantur, quoniam humidæ ſunt. Quantum ad ætates attinet, pueri aſſidue hoc morbo vexantur: ſed non admodum pereunt quod illis uſitatum, & familiare id vitium ſit. Juvenes autem rarius, quam pueri id patiuntur: ſed crebrius intereunt: viri minime. At ſenes inter omnes magis, & eo vitio corripiuntur, & eo necantur. In cauſa eſt frigiditas, & ariditas ſenectæ, & mortis natura. Cæterum ſi frigiditas cum humido conjungatur, minus noxiæ ſunt convulſiones, minusque ab ipſis diſcrimen impendet.

Affectum hunc iſta comitantur, omnes ſubito atque affatim corripit, labor, & intentio tendonum adeſt, & dorſi, & muſculorum, qui in maxillis, & pectore ſunt. Inferiorem enim maxillam ſuperiori annectunt adeo, ut neque vectibus, aut cuneis per Jovem facile diduci poſſint. Quod ſi quis videntes abducens humore inſtillaverit, non demittunt, ſed effundunt, aut ore continent, in naresve retrudunt. Iſthmus enim ſimul inhæreſcit, ac tonſillæ duræ atque intentæ ejus, quod devoratur, impreſſioni non cedunt. Facies eſt rubida, variegata, oculi ferme rigentes, qui vix circumvolvantur, ſtrangulatio vehemens, ſpiratio vitioſa, manuum crurumque diſtentio, muſculi palpitantes, facies variis modis diſtorta, buccæ & labia tremunt, maxillæ quatiuntur, dentes ſtrident. In alio vero quodam, & aures movebantur. Ego ſane vidi, & miratus ſui, lotium ſupprimi usque ad inſignem mejendi difficultatem, aut ſponte effundi, cum veſica premeretur. Hæc utique omnibus convulſionis generibus communia: propria vero cujusque hæc ſunt, Tetani quidem in rectum totius diſtentio, nullam prorſus in partem detorta, neque declinans: recta quoque ſunt

Digitized by Google

crura, & manus. Opiſthotonus vero retrorſum incurvat hominem, ut reflexum caput inter ſcapulas locetur; guttur exſtat; maxilla inferior plerumque dehiſcit, & raro cum ſuperiore committitur: in reſpirando ſtertunt, venter, & pectus prominent, lotium his minus contineri poteſt: abdomen intentum eſt, & ſi percutias, reſonans: manus retrorſum extenſione detorquentur, crura inflectuntur: e contrario poplites vitioſe curvantur. At ſi in priorem partem contrahuntur, convexa quidem his terga ſunt æqualiter cum parte pectori oppoſita, quam Metaphrenon Græci appellant: coxendicibus extra pulſis, dorſum totum rectum eſt: vertex, caputque in pectus vergunt: mentum oſſibus pectoris affigitur: manus conſertæ ſunt, & cohærentes; crura extenta. Dolores omnium atroces, vox omnium flebilis: ſuſpirant autem muſſantes profundius. Si pectus, & ſpiritum morbus occupaverit, facile migrant e vita. Bonum quidem ægrotanti, quod laboribus, diſtortione, turpitudineque liberatur: præſentibus quoque hominibus minus triſte, ſeu filius, ſeu pater ſit. Verum ſi in vita adhuc perdurent, ſpiritu licet vitiato, nihilominus permanente, prorſum verſus non arcus modo inſtar, verum & orbis incurvantur: ut caput genibus adnexum habeant, cruraque ac terga in priorem partem refracta ſint adeo, ut genu articulus in poplitem depulſus eſſe videatur. Inhumana calamitas, injucundus aſpectus, triſte intuenti ſpectaculum, & malum inſanabile: ob inverſionem autem vel ab amiciſſimis hominibus non adgnoſcuntur. Votum quoque illis, qui adſunt, prius impium, nunc honeſtum efficitur, ægrum vita defungi, quo una cum vita doloribus, & acerbis malis liberetur. Quin etiam neque medicus

Digitized by Google

præſens atque adſpiciens, ad vitam, aut ad doloris levamen, aut ad figuræ emendationem quidque opis afferre poteſt. Nam ſi membra dirigere velit, viventem ſane hominem diſtraxerit diſcerpſeritque. Igitur victis a morbo nihil ultra ſubveniens contriſtatur duntaxat. Hæc vero eſt medici magna infelicitas.

De Angina. Cap. VII.

ANGINA peracutus affectus eſt: ſpiritus enim compreſſio eſt. Duæ vero ejus ſpecies ſunt; aut enim inſtrumentorum ſpirandi phlegmone eſt, aut ſolius ſpiritus in ſeipſo cauſam habentis affectus. Inſtrumentorum quidem tonſillarum, epiglottidis, faucium, columellæ, ſummæ arteriæ. Quod ſi depaſcitur phlegmone, etiam linguæ, & maxillarum interius: cum ob phlegmones excellentem magnitudinem linguam extra dentes proferunt: oris enim cavernam implet, & ipſius quod abundat, extra dentes exeritur. Hoc malum Synanche græce, Angina latine, & Cynanche, id eſt, Canina Angina nominatur: aut quoniam hujusmodi animalia aſſidue hoc malo vexantur, aut quod etiam ſana linguam exerere conſueverunt. Alteri autem generi contraria eveniunt, inſtrumentorum collapſio, & ſingulorum nature inſignis macies, & ſtrangulatio vehemens: ut ipſismet in pectore, latentioribusque partibus, circum cor atque pulmones abdita eſſe inflammatio videatur. Anginam hanc appellamus, quaſi interius urgentem, atque angentem. Ego vero exiſtimo ipſius ſolius ſpiritus id vitium eſſe, prava converſione ad caliditatem ſiccitatemque converſi, nulla corporis

Digitized by Google

parte inflammatione laborante. Id autem mirandum non eſt: nam in (*) Charonæis ſtrangulatus citra ullum corporis affectum acutiſſimi contingunt: immo vel unica inſpiratione prius, quam corpus aliquod maleficium contrahat, homines moriuntur. Quin etiam, & a rabido cane, qui in faciem, dum ſpiritus adducitur, tantummodo inſpiraverit, & nullo pacto momorderit, in rabiem homo agitur. Talem igitur reſpirationis mutationem interius fieri haud eſt ex his, quæ fieri nequeant: quando quidem, & alia infinita eorum, quæ in homine ſunt, eandem ſpeciem cum exterioribus cauſis obtinent, ſucci perdentes intra corpus ſunt, & exterius: morbi quoque medicamentis pernicioſis aſſimiles, & a medicamentis talia vomunt, qualia ob febres vomere ſolent. Quocirca neque a ratione alienum eſt in peſtilentia, quæ Athenas afflixit, nonnullos exiſtimaſſe in puteos Pireæi a Peloponenſibus venena fuiſſe conjecta: homines enim peſtilentis morbi cum lethalibus medicamentis ſimilitudinem ignorabant.

Adeſt ſane Canis angina laborantibus tonſillarum, faucium, totius oris inflammatio; lingua extra dentes, & labia prominens: ſaliva effunditur: pituita craſſiſſima ac frigida defluit: facies rubicunda, & inflata eſt: oculi exerti, patentes, valde rubent: potus in nares refunditur: dolores acerbi ſunt, ſed ſtrangulatione vexati eos obſcurius ſentiunt: pectus, & cor ardent: frigidi aëris deſiderium adeſt, & admodum exiguum inſpirant eousque, donec demum intercluſo ad pectus aëris tranſitu ſtrangulentur. Nempe quibusdam cum pulmone vitium

(*) *Aliter coronæis.*

Digitized by Google

facile communicatur: hi vero permutatione moriuntur: febres ignavæ oriuntur, molles, nihil proficientes. At si alicui in bonum res vertitur, abscessus secundum aurem hinc atque inde exterius, aut interius in tonsillis fiunt. Quod si cum corpore non admodum tarde fiant, evadunt quidem, sed cum dolore atque discrimine. Sin autem morbo in abscessum mutato tumor major subest, in acutum abscessu insurgente repente strangulantur. Hæ sunt plane caninæ anginæ species.

Anginam autem collapsio, gracilitas, pallor, comitantur; oculi cavi, interius demersi; fauces, & gurgulio retracti; tonsillæ multo magis subsidentes, vocisque privatio. Hujusce speciei strangulatus longe, quam prioris, violentior: quippe cum in pectore malum sit, ubi spirandi initium ponitur, eodem die moriuntur, qui celerrime, nonnunquam, & ante quam medicum accersiverint: nonnulli, & accersito medico nihil profecerunt; mortuus est enim æger ante quam medicus arte uteretur. Quod autem in melius vertitur, inflammat omnia, quæcumque extrorsum phlegmone impulerit: quare ex synanche, id est, angina, fit cynanche, id est, canis angina. Bonum quoque est, si in pectore magnum œdema oriatur; aut insigne erysipelas.

Egregius vero medicus aut cucurbitula in pectus malum detrahit, aut sinapim ossibus pectoris, aut partibus, juxta maxillas imponens extrinsecus (*) ulcerat, diffiationemque molitur. Quibusdam sane brevi tempore vitium his auxiliis exterius tractum fuit, absolutum vero subito recurrit, & (**) ad interiora reversum est. Causæ-

(*) *Alia lectio attrahit.* (**) *Alia suffocavit.*

Digitized by Google

utique infinitæ ſunt, refrigerationes magis, exuſtiones minus, plagæ, ab oſſibus piſcium penetrationes in tonſillas, frigidæ potus, ebrietates, ſaturitates, & mala a reſpiratione prodeuntia.

De affectibus Columellæ. Cap. VIII.

CORPUS ſolidum ex palato pendens, inter tonſillas poſitum, Columna, & Gurgulio nominatur. Uva enim affectionis nomen eſt. Columella natura nervus eſt, ſed humidus: nam in humido loco ſitus eſt. Iſte itaque Gurgulio pluribus incommodis afficitur. Etenim phlegmone craſſeſcit, æqualisque a baſi uſque ad extremum terminum efficitur in longum protentus, ac rubore ſuffuſus. Columna hujuſce vitii appellatio eſt. Si in extrema tantum parte rotundatur, & increſcit, atque ſubnigricat, Uva hujuſmodi affectus cognominatur: omnia enim uvæ ſimilia ſunt, & figura, & color, & magnitudo. Tertius affectus eſt membranarum ab utraque parte jacentium, quæ veluti ſquamæ latæ, aut veſpertilionum alæ conſpiciuntur: id genus morbi Lorum vocatur; loris enim ſimiles ſunt membranarum in latum explicationes. At ſi in tenuem, & oblongam membranam Columella deſinat, veluti urinaculum in extremis habens, Craſpedon Græci hunc affectum nominant: quod montis radicem vel pedem ſignificat: latino caremus vocabulo. Provenit autem, & id ex fluore, quemadmodum, & alia vitia. Fit vero, & per abſciſſionem oblique factam ab uno tantum latere membranam relinquente medico. Sin autem bicornis Columella reddatur, geminis membranis hinc atque inde pendentibus, nomen

Digitized by Google

quidem nullum obtinuit, verum affectus ipſe perſpicuus eſt: omnia vero hæc facile fuerit introſpicientem dignoſcere. Omnibus ipſis ſtrangulatus accidit, & ægre cibum potumque devorant: tuſſis quoque omnibus adeſt, ſed præcipue Loro vexatis, & Craſpedo; quædam enim arteriæ titillatio a membranis oritur: nonnunquam vero, & aliquid humoris in arteriam clanculum inſtillatur, unde ad tuſſim provocantur. Uvam autem, & Columnam major ſpiritus difficultas ſequitur, & magis impedita devoratio: in his enim humor in nares repellitur, quoniam tonſillæ una male habentur. Senibus Columna accidere conſuevit. Juvenibus autem ac viris Uva: ſi quidem hi ſanguine referti ſunt, & inflammationi magis obnoxii. Pubeſcentes, & pueros membranarum vitia ſæpius infeſtant. Secari autem omnia citra noxam queunt: ſed in Uva adhuc rubentibus locis ſanguinis effluvium, & dolores, & phlegmones incrementum ſuperveniunt.

De Tonſillarum ulceribus. Cap. IX.

ULCERA in Tonſillis fiunt aliqua mitia, familiaria, non lædentia. Aliqua aliena, peſtifera, necantia. Mitia quidem ſunt munda, exigua, non alte deſcendentia, non inflammata, dolorem non excitantia. Peſtifera ſunt lata, cava, pinguia, quodam humore albo, aut livido, aut nigro ſordentia. Id genus ulcera Aphthæ nuncupantur. Quod ſi concreta illa ſordes altius deſcenderit, affectus ille Eſchara eſt, atque ita græce vocatur, latine Cruſta. Cruſtam vero circumveniunt rubor excellens, & in-

Digitized by Google

flammatio, & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo, & exiguæ raræque puſtulæ, quas Græci Exanthemata vocant, orientes, hisque aliæ ſupervenientes in unum coaleſcunt: atque inde latum ulcus efficitur. Id ſi (*) interius in os depaſcendo ſerpit, ad Columellam uſque pervenit, ipſamque exedit, & linguam etiam occupat, & gingivas, & frena, id eſt, dentium alveolos, dentesque inde labefactantur, & denigreſcunt.. In collum etiam phlegmone erumpit: atque iſti haud ita multis diebus poſt phlegmone, febribus, fœtore, inediaque conſumpti intereunt. At ſi in pectus per arteriam id malum invadat, illo eodem die ſtrangulat: pulmo enim, & cor neque talem odoris fœditatem, neque ulcera, neque ſanioſos humores ſuſtinent: ſed tuſſis ſpirandique difficultas enaſcitur. Cauſa maleficii tonſillarum eſt frigidorum, aſperorum, calidorum, acidorum, adſtringentiumque devoratio: quandoquidem hæ partes pectori ad vocem ſpiritumque edendum inſerviunt, & ventri ad alimenti transmiſſionem, & gulæ ad ejusdem devorationem obſequio ſunt. Internis vero partibus ſi quod contingat incommodum, ventri videlicet, gulæ, & pectori, ad iſthmum, & tonſillas, & loca ibi poſita mali conſenſus, & eructationes perveniunt. Quapropter pueri uſque ad pubertatem maxime hoc morbo tentantur: peæcipue namque pueri multum frigidumque aerem inſpirant: quoniam in his plurimum caloris ineſt, & ad cibos intemperantes ſunt, & varia concupiſcunt, & frigidam potant, & excandeſcentes ac ludentes altius vociferantur. Puellis quoque uſque ad menſtruæ purgationis tempora hæc vitia uſitata

(*) *Aliter exterius.*

Digitized by Google

ſunt. Regio Ægypti horum affectuum plane fœcunda eſt: aer enim ſpirando ſiccus adducitur: varios præterea cibos ſuggerit: radices enim, herbæ, atque olera ibi large proveniunt, & acria ſemina, & potio craſſa, utpote Nili aqua ſibi vero Ægyptii ex hordeo, & ex flocibus ſeu vinaceis potiones acres conficiunt. Syria quoque, maxime illa, quæ Cœle, ideſt cava nominatur, hujuſmodi morbos procreat: unde ægyptia, & ſyriaca ulcera id genus appellant. Modus vero mortis quam miſerrimus accidit. Dolor quidem acer, & calidus, qualis in carbunculo, ſpiritus vitiatus: exhalant enim maximæ putredinis odorem, eumdemque vehementer in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeo ſunt, ut neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Pallida his ſeu livida facies, febres acutæ, ſitis, ut igne accenſi videantur. Potum, veriti dolores, non admittunt: triſtantur enim, cum tonſillæ comprimuntur, aut potus in nares reſilit: cumque decumbunt, ſurgunt, ut ſedeant, decubitum non ferentes: quod ſi ſedent, quiete carentes, iterum decumbere coguntur; plerumque autem recti ſtantes obambulant: nam quieſcere nequeunt: ſolitudinem fugiunt, dolorem tollere tentantes. Inſpiratio magna eſt, frigidum enim aerem ad refrigerationem deſiderant: exſpiratio vero parva. Nam veluti igne exuſta ulcera cum ſint, a calido præterea ſpiritu incenduntur: raucitas adeſt: vox nihil ſignificat. Atque hæc in pejus ruunt, cum ſubito in terram collapſis anima deficit.

Digitized by Google

De Pleuritide, id eſt, morbo lateris. Cap. X.

SUB coſtis, dorſo, & internis pectoris ad jugula uſque tenuis membrana robuſtaque oſſibus inhærens ſubſtrata eſt, cui nomen ſuccingens inditum eſt. In hac cum phlegmone ſuborta fuerit, ignis adeſt cum tuſſi, & ſputis variis. Pleuritis morbus iſte a Græcis appellatur. Opus eſt autem omnia hæc inter ſe conſonare, atque conſpirare ab una cauſa pendentia. Quotquot enim ex his ſparſim alia ab alia cauſa proveniunt, & ſi omnia ſimul ingruunt, Pleuritis non vocatur. Hunc affectum comitatur dolor acutus ad jugula aſcendens, ignis acer. Decubitus in latus inflammatum facilis eſt; in ſua enim ipſius ſede collocatur: in oppoſitam vero partem decubitus dolorem concitat: a pondere enim, a phlegmone, & ſuſpenſione in omnes membranæ continuas partes ad humeros uſque, jugula, quibuſdam vero, & in terga, & in dorſi ſcapulas dolor protenditur. Pleuritidá veteres Græci appellarunt, Latini morbum lateris, vel coſtarum. Eam vero ſequitur difficilis ſpiritus, vigilia, ciborum faſtidium, malarum rubor hilaris: tuſſis arida: ſputa ægre exeuntia, pituitoſa, aut biliosa, aut abunde cruenta, aut ſubflava, & hæc ordinem non ſervantia, ſed alias alia adventia ac recedentia. Ex omnibus vero pejus eſt ſi cruentum ſputem deſit. Delirant autem, & nonnunquam comate occupantur: atque in ſoporem gravem inclinantes mentis alienationem patiuntur. Itaque ſi in malum vertatur morbus omnibus in pejus vergentibus, intra ſeptimam iſti in ſyncopam lapſi conſumuntur. At ſi in ſecunda

Digitized by Google

hebdomada educi ſputa incipiant, & mala augeſcant, decimo quarto die pereunt. Nonnunquam ſane intra hujus temporis ſpatium omnium in pulmonem tranſitus eſt. Trahit enim in ſeipſum pulmo rarus, & calidus, & ad proxima trahenda ſeſe commovens. Tuncque morbi transpoſitione repente homo ſtrangulatur. Cæterum ſi diem hunc ægrotus tranſierit, atque intra viceſimum non moriatur, in empycum, hoc eſt, pectore ſuppuratus evadit. Hæc profecto, ſi morbus ad perniciem tendat, eveniunt.

At ſi in melius vergat, ſanguinis e naribus large profuſio cum impetu ſuccedit: tuncque repente morbus diſcutitur: quandoquidem, & ſomnus oritur, & pituitæ rejectio advenit, poſtea bilioſorum tenuium, deinde multo tenuiorum, rurſum vero cruentorum, craſſorum, carnis formam referentium. Quod ſi poſt cruenta iterum exeat bilis, poſt ipſam pituita, ſecura eſt hæc in priſtinum reſtitutio. Hæc ſi tertio die incipiunt, & ægri facile extuſſiunt, lævia, æqualia, humida, rotunda, ſeptimo die liberantur, quando & venter bilioſa exturbat, ſpiratio conquieſcit, mens ad ſe redit, febres decreſcunt, ciborum appetentes ſunt. Si ſecunda vero hebdomade hæc inchoantur, decimo quarto die ſanantur: ſin minus, in empyema, hoc eſt, pectoris ſuppurationem morbus vertitur. Id vero rigores indicant, doloreſque punctorii: ſedere cupiunt, ſpiritus deterius ducitur: tunc metus major eſt, ne pulmo pus multum ſubito attrahens hominem ſuffocet: qui prima & majora mala evaſerat. Verum enim vero ſi inter coſtas morbus irrepſerit; eaſque disjunxerit, & phlegmones faſtigium extrorſum deprompſerit, aut verſus inteſtina eruperit, plerum-

Digitized by Google

rumque homo ad ſanitatem redit. Inter anni tempora hiems maxime hujus morbi ferax eſt: ſecundo autumnus, ver minus, niſi interdum frigidum ſit: æſtas vero minime. Quantum ad ætates attinet, in primis ſenes pleuritidi ſunt obnoxii: qui etiam ſæpius quam alii liberantur: neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari poteſt, neque in pulmonem tranſitus facilis eſt: quippe qui eſt in ſenecta, quam in alia ætate frigidior: quando & ſpiratio parva eſt, & omnium attractio imbecilla. Juvenes autem, & viri haud ita frequenter in hunc morbum incidunt: verum neque admodum frequenter evadunt: nam neque ab exigua cauſa, neque ob exiguam phlegmonem ægrotant. In magnis autem majus ineſt periculum, & pueri minime pleuritide corripiuntur, minusque ab ea periclitantur: quando quidem puerilia corpora rara, humida, fluxaque ſunt, ac multa eſt in eis diffla-tio atque digeſtio: quo circa neque magna contrahitur phlegmone: ea eſt hujus ætatis in hoc morbo felicitas.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS
DE
CAUSIS ET SIGNIS
ACUTORUM MORBORUM.

LIBER SECUNDUS.

JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO *INTERPRETE.*

Hæc insunt in secundo Libro.

De Pulmonaria. . . . . . *Cap. I.*
De Sanguinis rejectione. . . . *Cap. II.*
De Syncope. . . . . . *Cap. III.*
De Ardoribus. . . . . . *Cap. IV.*
De Cholera. . . . . . *Cap. V.*
De Volvulo. . . . . . *Cap. VI.*
De Jecinoris acutis morbis. . . *Cap. VII.*
De Cavæ venæ acuto morbo. . . *Cap. VIII.*
De Renum acutis affectibus. . . *Cap. IX.*
De Vesicæ acutis affectibus. . . *Cap. X.*
De Uteri strangulatu. . . . . *Cap. XI.*
De Satyriasi. . . . . . *Cap. XII.*

De Pulmonaria. Cap. I.

OB duo potissimum vivunt animalia, escam videlicet, & spiritum: ex his multo magis vitæ conducit spiratio: hunc enim si quispiam supprimat, non diu feret incolumis: sed

Digitized by Google

protinus interibit. Hujus inſtrumenta multa parata ſunt. Initium ſunt Nares, via eſt Arteria: locus continens Pulmo. Pectus autem pulmonis eſt vallum, & conceptaculum. Verum cætera ut inſtrumenta ſolum animali ſubſerviunt, pulmo vero attrahendi cauſam in ſe continet. Namque in ipſo medio calidum viſcus ſedet, cor vitæ ſpirandique principium. Id pulmoni quoque attrahendi frigidi aëris cupiditatem injicit: ſiquidem ipſum incendit, verum cor eſt, quod attrahit. In primis igitur ſi cor affectum eſt, non diuturna eſt mortis dilatio. Si pulmo male habet, puſillam quidem ob cauſam difficulter ſpirat, male vitam agit, mors tardiſſime advenit, ſi quis medelam adhibet. Si vitium inſigne fuerit, qualis eſt phlegmone, ſtrangulatus ſequitur, vocis ſpiritusque ſublatio ſubitanea pernicies imminet. Hæc eſt ægritudo ea, quam Græci Peripneumoniam, Latini Pulmoniam dicunt: vomica ſcilicet pulmonis. Eam febris acuta comitatur, doloris carentia, ſi ſolus pulmo inflammatur. Quippe qui naturaliter dolore immunis ſit, ob corporis raritatem lanis aſſimilis. Aſperæ arteriæ in ipſo inſertæ ſunt, cartilaginoſæ, & ipſæ dolorem non ſentientes. Muſculorum pulmo expers eſt: nervos habet exiguos, graciles, ad motum ciendum opportunos: his de cauſis pulmo dolorem non percipit. At ſi quæpiam ex membranis eum ambientibus, & ad pectus deligantibus inflammatur: adeſt tunc, & dolor: ſpiritus eſt depravatus, calidus: ſedere volunt laborantes: ad ſpiritum ducendum corpus rectum ſtatuitur: ad id enim hic eſt ſitus aptiſſimus: rubeſcit facies, ſed malæ præcipue: oculorum album nitidiſſimum ac pingue eſt: ſummæ nares ſimæ ſunt: venæ temporum, vel

Digitized by Google

etiam colli elatæ apparent, cibos aversantur, arteriarum pulsatus initio magnos habent, inanes, creberrimos perinde, ac si festinare coacti sint: calor in exterioribus membris modicus humectusque est, in interioribus ingens & aridus. Inde fit spiritus calidus, sitis, linguæ siccitas, frigidi aëris aviditas; mentis ambiguitas supervenit: tussis adest plerumque sicca: sin aliquod sputum movet, id vel spumans pituita est, aut aliquid exquisite biliosum, aut cruentum, floreo colore valde perfusum: id vero cruentum aliis perniciosius est. Quod si mortifera magis ægritudo redditur, vigiliæ augescunt, somnus paucus, torpidus, haud absimilis sopori, qui a Græcis Coma nominatur: cogitationes vanæ insurgunt; mens alienatur; non admodum ecstasi corripiuntur: præsentia mala ignorant: nam eos si de morbo interroges, nihil periculi instare respondent, eorum algent extrema: livescunt ungues (*) curvanturque: motus arteriarum parvi, frequentissimique sunt: deficientes, quando ipsis proxima mors est; nam septimo die plerumque moriuntur. Porro si nonnunquam morbus substitit, & aliquantulum in melius vergit, vehemens de naribus sanguinis eruptio conspicitur: aut per alvum cum perturbatione multorum biliosorum, & spumantium succorum dejectio, qui ex pulmone in sacrum ventrem depulsi fuisse videri possunt, si multi liquidiores, facile dejiciuntur. Nonnunquam vero, & per urinarias semitas evocantur. Cæterum quibuscunque hæc simul eveniunt, hi quamprimum ægritudine sublevantur. Quidam utique sunt, quibus magna vis puris in pulmone procreatur: aut ex pleuritide fit permutatio, si majus bonum suboritur.

(*) *Alias vigilant.*

Digitized by Google

Quod si ad inteſtina aut veſicam ex lateris morbo ſanies derivata ſit, tunc quidem continuo pulmonis vomica liberantur: ſed diuturnum ulcus, quod demum ſaneſcet, in latere patiuntur. Quibus vero in pulmonem pus irrumpit: nonnulli ob ſubitaneam, & copioſam effuſionem, & rejiciendi infirmitatem ſuffocantur. At quicunque ſuffocationis periculum ex tumoris eruptione ſubterfugiunt, hi longo tempore pulmonis ulcere cruciantur, & in phthiſim prolabuntur. Verum ex abſceſſu, & phthiſi, pauci admodum ſenes liberantur; ſicut neque a pulmonia juvenes, & florentem ætatem agentes.

De Sanguinis exitu ab ore. Cap. II.

SANGUIS ab ore duobus modis emittitur, primo ex ipſo ore, capite, & vaſculis, quæ ibi ſunt: via eſt palatum, & fauces ubi eſt gulæ, & arteriæ principium: ſcreantes vero, cum parva tuſſi, vel etiam citatiore, in os ſanguinem eructant; nam cum ab ore fertur, neque ſcreatu opus eſt, tum exſpuere dicimur; cum vero pauciſſimus, & guttatim ſanguis exit, aut etiam ſi copioſus de capite, vel ab ore eruperit; nondum rejectio eſt appellanda; ſed idem vel ſputum, vel ſanguinis eruptio, græce hæmorrhagia dicitur: ſin ab inferioribus adſcendat a pectore viſceribuſque ibi latentibus, pulmone, aſpera arteria, lociſque ſpinæ finitimis: hujuſmodi non ſputum, ſed rejectio latine, græce anagoge vocitatur adſcenſionis, ac viæ, per quam fertur, nomen habens. Signa vero utriuſque communia exigua, & pauca ſunt, quantum, & locus permittit, in quem rejectio, & ſputum conveniunt. Singulorum autem propria, magna, & multa, & periculoſa ſunt: quibus utramque effuſionis

Digitized by Google

ſanguinis ſpeciem internoſſe leve eſt.

Igitur ſi a capite ſanguis decurrit, ubi multus eſt, plura majoraque aderunt: pauca minoraque, ubi raro paucuſque exſpuitur: caput grave eſt, dolet: ſonant aures, facies rubet, venæ diſtentæ ſunt, vertigo infeſtat. Et ante hæc cauſa evidens fuit, percuſſus, frigora, calores ingentes, vinum largius epotum. Quippe id ſubito ac valde caput implet, repenteque multum ſanguinis effracta vena profundit: modica ebrietas rarefacta vena ſanguineum ſputum movet. Interdum per nares ſanguinis conſuetum profluvium ſiſtitur, ad palatum vero converſum rejectionis imaginem præbet. Igitur ſi de capite profluit, titillatio in palato gignitur: creber ſcreatus fit, poſt quem ſputum erumpit; inde iraſcuntur, tuſſique magnopere agitantur. Si ex palato in arteriam defluit, tum per tuſſim ſanguinem extrudunt: idque multos fefellit ex profundis viſceribus rejectionem fieri ſuſpicantes. Nonnunquam & ex capite decurrit in gulam, ſicque cum nauſea evomitur: falſoque multis ita perſuaſit, ut ex gula ferri ſanguinem crederent. Qui exſpuitur ſanguis, haud ita craſſus eſt, colore ater, levis, æquabilis, alienæ materiæ non permixtus: ſcreantibus enim confeſtim in linguam cadit rotundus, avulſionique obediens. Tu vero ſi palatum etiam introſpicias, id ſordidum, ulceroſum, & ſæpius cruentum videbis. Huic ſimplex curatio breviſque ſuffecerit, adſtringentia videlicet medicamenta palato adhibita, & ea frigida: ſiquidem calefacientia, & quæ rara faciunt corpora, & quæ dilatant, fluxum majorem citant. Eaque ſit a capite cadentis ſanguinis conjectura. At caput quoque vel per venæ ſectionem, vel per nares, vel per aliam diflationem evacuandum eſt, &

Digitized by Google

hæc mature facienda ſunt: nam ſi diutius ſanguis feratur, quædam erit ejus curſui exercitatio, ejuſque loci membra ſuſcipiendo ſanguini aſſuefcent: ulceratur autem & arteria: unde tuſſis, non ſcreatus exoritur; atque inde fit eruptionis initium.

Si vero a pectore inferioribuſque viſceribus ſanguis effluxerit: rejectio latine, græce anagoge nuncupatur. Utique valde mortifera eſt, ſi ab aliquo principe membro effracto ſanguis manaverit, aut a concava cordis vena ſanguinem ab jecore illi ſuggerente, aut a magna arteria ſecundum dorſi ſpinam diſcurrente: nam erumpente ſanguine, perinde ac ſi juguletur homo ac ſtranguletur, mors inſtat celerrima. Quibus autem ex pulmone, aut coſta, aut aſpera arteria profunditur, non æque cito intereunt; veruntamen in ſuppurationem pectoris, quæ græce empyema dicitur, & in phthiſim incidunt. Minus periculi ab aſpera arteria portenditur. Si gula aut ventriculus ſanguinem vomunt, non ita terribile eſt, & ſi valde copioſi ſanguinis vomitus eſt, neque longa duratio eſt, neque varia. Si a jecore aut liene ſanguis prodeat, non facile id fit neque continenter, namque in ventriculum, & inteſtina expeditius hæc viſcera ſanguinem propellunt, haud ita tamen, quin credendum ſit, hæc eadem ad ſuperiora, videlicet, pulmonem, & arteriam poſſe retrudere. Siquidem in febribus a liene, & jecinore per narem illam ſanguis erumpit, quæ a regione patienti viſceri opponitur. Locos, unde fit exitus, jam recenſuimus, eorumque periculi vel mortis diſcrimina. Effuſionis autem ſanguinis tres ſunt modi, vel rupta vena aliqua, vel exeſa, vel rarefacta. Rumpitur quidem repente vel ictu, vel ferendo onere, aut tollendo, vel ab edito loco deſiliendo, vel clamo-

Digitized by Google

re, vel magna excandeſcentia, aliave id genus cauſa: cum ſubito in arteriam copioſus ſanguis effunditur. Si ab eroſa parte, hominem interrogare opus eſt, num prius tuſſierit, difficulter ſpiraverit, nauſea vomituſve antea infeſtaverint? in his enim diuturnis affectibus copioſa, & acri fluxione perſeverante vaſcula exeduntur. Ubi igitur detritæ, & attenuatæ, ad extremum conſumptæ fuerint ambientes membranulæ, hac atque illac ſanguine perfluunt.

At rarefactio citra rupturam eſt proinde non ſubitanea, neque cum multi aut craſſi ſanguinis exitu: nam cum rareſcunt venarum corpora, tenuis pars excernitur. Quod ſi multus in aliquo inani ſpatio ſanguis collectus rurſus emittitur, craſſior ſeipſo redditur: non tamen multo craſſior, neque ater, quale concrementum, aut grumus eſt: ſed copioſior: utpote qui unum in locum prius confluxerit. Id genus autem repentini exitus plerumque feminis, quibus menſtrua non reſpondent, evenire ſolet: idque ſingulis menſibus evenit: iiſdemque menſtruæ purgationis circuitibus apparet: nec non iiſdem ſtatis ceſſationis diebus ſupprimitur: ac niſi mulieri laboranti ſuccurratur per multos circuitus ſanguinis emiſſio revertetur. Nempe quibuſdam vaſa rupta ſunt, ſed multitudine rejectio evariat. Et ab arteria, an a vena feratur, intereſt. Quoniam ater eſt ſanguis, craſſus, & facile ſpiſſeſcens, qui a vena mittitur: præterea minus diſcriminis affert, celeriuſque compeſcitur. Ab arteria flavus tenuiſque prolabitur, haud ita cogitur, citius hominem perimit, & majori negotio ſupprimitur: nam arteriæ agitatio ſanguinis fluorem movet, vulnuſque frequenti concuſſione dehiſcit. Eroſionis autem curatio magnam diligentiam poſtu-

Digitized by Google

lat, cum ſit longa, difficilis, & periculoſa. Etenim parte membri deficiente, ad ſolidationem ulcus non ducitur: ulcus enim, non vulnus efficitur. Rupturæ vero facilior ſolidatio, quia vulneris oræ ſe contingunt; & hæc ſecundo periculi ordine conſiſtit. Minimus in rarefactione metus ſubeſt: ſponte enim ſanguis conquieſcit, & adſtrictio refrigeratioque in medendo ſatis eſt. Cæterum & ſedes, unde ſanguis proficiſcitur, obſervandæ ſunt. Siquidem multa ſunt communia indicia, & erroris occaſio in promptu eſt, curatioque diverſa. A gula igitur haud ita ſæpe per rarefactionem ſolet ſanguis effluere, cum ob cibos potioneſque refrigeratio, & adſtrictio ejus partes condenſet. Quin etiam eroſiones haud frequenter fiunt, ac minus, quam rarefactio, gulam infeſtant, quippe fluxiones erodentes non multum temporis in ea ſubſiſtunt: ſed aut exſpuuntur, aut ad inferiora pelluntur. Frequentius gulæ incidit ruptio: itaque ſi interdum rupta eſt, non tam magnæ, ſicuti a pectore, ſanguinis profuſiones fiunt: in cauſa eſt venularum, quæ ibi ſunt arteriarumque tenuitas; ſanguis vero exiens non magnopere nigricat, ſubflavus eſt, non exacte, lævorem habet, aut ſalivæ permixtus eſt, cum nauſea, & vomitu rejicitur: levis tuſſicula citatur, modo humidum quippiam movens, modo arida: id evenit quoniam gulæ affectum arteria quoque participat, ſecundum illam extenta, & adhæreſcens: morſus vel adſtrictio ulceris inter devorandum percipitur: idque præſertim, ſi bene frigida, aut calida, aut acerba ſint, quæ deglutias: nonnullos autem, & gulæ ipſius dolor invadit ad interſcapulum uſque interdum pertinens: vomunt pituitoſa: nonnunquam, ſi morbus producitur, & invaleſcit, ci-

Digitized by Google

bum rejiciunt, cibos ſummopere faſtidiunt: febres haud ita multum continuæ, ſed erraticæ ſunt. E ventriculo niger concretuſque ſanguis evomitur, etiamſi ab arteria fluxerit. Si a vena, multo nigrior, compactiorque eſt: nauſea multa adeſt: pituitoſus bilioſuſque vomitus: ſi prius homo comedit, cum cibis mixtus ſanguis ejicitur: in eodem enim loco cibus ſanguiſque colligitur: ructus crebri fiunt, & virus olentes: quod ſi multa materia collecta eſt, angor animi vertigoque ſequitur: cum materiam vomuerunt, ſublevantur: reſolvuntur tamen, penitus exæſtuant, aſſidueque dolet ventriculus. Ab aſpera autem arteria paucus ſanguis, vehementer flavus, per tuſſimque expellitur; qui niſi expellitur, continens tuſſis inhæret; ſenſus vero, & dolor in gutture eſt, paulum ſupra aut infra vox rauca, & obſcura fit. Si a pulmone, repente uberiorque ſanguis emanat: idque magis, ſi eroſio in cauſa ſit: tuſſis permoleſta eſt: ſanguis vero exacte flavus, ſpumans, rotundus ſic, ut pars ejecta a parte diſtincta ſit.

Cæterum, & in communi vaſe corruptio eorum, quæ de pectore exeunt, alia eſt; comparatione autem permixta diſcernas: alioqui pectoris partes ſpecie carnoſas pulmonis eſſe partes cenſueris: verum pectoris gravitas, indolentia, ruborque in facie multo magis in pulmonis vitio reperitur. Si in pectore noxa ſit, in parte priori, ſecundum os pectorale, quod vocant, dolor laceratam partem oſtendit: ingens tuſſis adeſt, vix aliquid extrudens: ſanguis non multum flavus eſt, modice craſſus, ſpuma carens. Quod ſi & pulmonis in tranſitu noxam impertiat, aliquid etiam ſpumæ conſequitur: quandoquidem ex pectore in arteriam pulmone iter datur. Si a membrana coſtas ve-

Digitized by Google

liente, per tuſſim quidem ſanguis funditur: ſed niger, levis, tetri odoris viroſique qualis ex putridis rebus exhalat: dolor ſuccingentis membranæ acutus vexat: multi ex his cum febre, ut pleuritici ſolent, intereunt.

Tempus anni humidum, calidumque ſanguinis emiſſionem maxime procreat: tale eſt humidum, & calidum. Ver, ſecundo loco Aeſtas, Autumnus minus, Hiems minime. Aeſtate maxime moriuntur ob ſanguinis effluvium: quo tempore haud ita magnæ phlegmonæ oriuntur. Vere ſecundo phlegmonis, & urentibus febribus conſumuntur. Autumno plurimum Tabes, quas Græci Phthoas dicunt, eveniunt. Ut ſemel autem dictum ſit, omnem ſanguinem rejectionem quantumvis modicam, quamvis jam rupta vaſa coiverint, comitatur mœror, diffidentia, vitæ deſperatio. Quis enim eſt adeo firmo, & conſtanti animo, qui ſe jugulationi ſimile quoddam paſſum eſſe conſpiciens, non futuram mortem vereatur, & perhorreſcat? grandiora namque animalia, & robuſtiora, quales tauri ſunt, ſanguinis profuſione celerrime perduntur. Verum hoc haud magnopere mirandum eſt. Illud ſumma admiratione dignum, quod in ſola ex pulmone rejectione, quæ omnium ſæviſſima eſt, homines animum non deſpondent, cum tamen in extremo diſcrimine verſentur. Pulmonis indolentiam hujuſce rei cauſam ego ſtatuo: quilibet enim dolor, quamvis exiguus, interitus metum injicit, & plerumque terribilior eſt, quam periculoſior: contra indolentia in plurimis vel magnis morbis a morte ſecuritatem præſtat: damnoſiorque eſt, quam terribilior.

Digitized by Google

De Syncope. Cap. III.

RECTE plane medicus, & vulgus, recte, inquam, huic affectui nomen indiderunt. O Cyphon, cujus mali est nomen? Ecquid enim majus, ecquid celerius syncopæ facultate? ecquodnam aliud nomen ad hanc rem appellandam significantius? quid vero corde ad mortem vitamve potentius? Neque syncopen cordis ægritudinem esse, aut vitalis in eo potestatis detrimentum, non credendum est: tanta est mortis celeritas, & talis morbi species. Quippe is affectus vinculorum potestati vitam foventis dissolutio est, hominis constitutionis adversarius: hanc enim tenaciter corripiens non dimittit, sed dissolvit ac dissipat. Neque id magnum est miraculum. Nam & alii affectus quorundam membrorum, quibus inhæresunt indeque accenduntur, proprii sunt, & periculosi. Inguinum quidem tumores pestiferi, & permaligni (Bubonas Græci nuncupant,) jecoris soboles sunt, nullaque alia ex parte prodeunt. Tetanus autem nervorum labes est. Comitialis morbus caput obsidet. Pari igitur ratione, & syncope cordis, & vitæ ægritudo est. Quicunque vero stomachi affectum syncopen esse opinantur; quoniam cibis vinoque in nonnullis, & frigida vires refectæ sunt, & ægritudo sublata: iidem mihi videntur capillorum capitis, & cutis affectum esse phrenitin suspicari; quoniam capillorum detonsione, & cutis irrigatione phrenitici relevantur. Verum cordi stomachus vicinus pernicioſus est: unde in cor tam noxia, quam utilia derivantur. Etenim per pulmonem etiam, ut spiret, aërem cor accersit: verum ta-

Digitized by Google

men pulmo haud ex æquo ſpirandi facultatis particeps eſt, cum facultates non in inſtrumentis, ſed ubi eſt vitæ fons atque roboris, ſtatuantur. At ſtomachus vitæ neque principium, neque ſedes eſt; aliquis tamen ab ejus imbecillitate lædi poteſt. Nam, & cibi cordi nocentes non ſtomacho officiunt, ſed cordi per eum noxam infligunt. Si quidem, & ab illis morientes cordis affecti notas repræſentant, arteriarum motus parvos debileſque, cordis concuſſionem cum vehementi palpitatione, vertiginem, animi deliquium, torporem membrorum, reſolutionemque in copioſum ſudorem, qui ſupprimi nequeat, refrigerationem in toto corpore, ſenſus vociſque privationem: dicendum ne eſt hæc ſtomachum perpeti? Sed quænam ei propria? Nauſea, vomitus, cibi faſtidium, ſingultus, eructatio ſimplex, vel acida. Illi præterea, quibus cor laborat, ſenſus aciem exquiſitiorem habent; ut videant, & exaudiant plus, quam antea: mente etiam ſunt firmiore, & animo puriore; proinde non tantum præſentia declarant, verum etiam futura veriſſima divinatione prædicunt. Num ne igitur, & hæ ſtomachi poteſtates ſunt? hercule minime, ſed cordis, ubi, & anima, & ejus natura inhabitat, ad quod, & virtutum ibi ſitarum calamitas pertinet. Hujus vero morbi eſt tenoris naturæ deſtructio auctore frigido humidoque, quippe hoc oppreſſi intus, & in cute refrigeſcunt; non ſitiunt: frigidum ſpirant; quamvis magnis ac perurentibus febribus, unde ipſa ſyncope dependet, affligantur. Natura enim robuſta, & probe temperata omnia ſuperat, omnibus dominatur, ac per humorem, & ſpiritum, & ſolida, horumque omnium convenientem ordinem, & modum hominis vitam adminiſtrat.

Digitized by Google

Quod si naturæ nexus, id est, Tenor dissolutus sit: tunc affectus oritur, cujus prægrediens causa est comburens febris, quæ græce Causus dicitur: ea vero hujusmodi est.

De Causo, id est febre ustoria. Cap. IV.

IGNIS passim, & acer, & tenuis est: sed intus maxime. Spiritus tanquam ab igne, calidus. Aëris vehemens attractio. Frigidi cupiditas. Lingua arida. In labiis, & cute squallor. Algent extrema. Lotium quam biliosissimum. Insomnietas. Arteriarum motus crebri, parvi, imbecilli. Oculi puri, (*a*) lucentes, subrubri. Facies bene colorata. Si morbus ulterius crescit, omnia majora, & sæviora fiunt. Arteriæ minimis motibus, & creberrimis agitantur. Ignis aridissimus, & acerrimus. Mens delirat; omnia ignorat. Siticulosi fiunt. Omnia frigida attrectare cupiunt, parietem, vestem, pavimentum, humorem. Manus frigent, sed palmæ perquam calidæ, Ungues livent. Spiratio crebra est. Roscidus humor circa frontem, & jugula. Cum ad summam ariditatem caloremque corporis natura pervenerit; tum calidum in frigidum, squallor in imbrem convertitur. Rerum namque ad maximam molem incrementa in contrarium statum prolabuntur. Ubi ergo naturæ nexus soluti fuerint, ea syncope est: Tunc sudor ingens toto corpore funditur, & nullo pacto compescitur. Spiratio frigida est. Vapor e naribus multus exhalat. Siti non vexantur: cætera enim exarue-

(*a*) *Alias mobiles.*

Digitized by Google

runt: quin etiam alia inſtrumenta ſitiunt os, & gula. Urina tenuis, & aquea redditur. Alvus plurimum adſtricta eſt: nonnunquam tamen pauca quædam bilioſa deſcendunt. Copioſa, & aliena humiditas redundat. Oſſa quoque tabeſcentia diffluunt, & undique, ut in flumine, ad exteriora omnia dilabuntur. Animus ſtabilis, & conſtans eſt: ſenſus omnis purus, & integer: ſubtile ingenium. Mens vaticinando idonea. Primum quidem ſeipſos de vita migraturos præſentiunt, deinde præſentibus futura denuntiant. Nonnulli vero interdum eorum dictis fidem non habendam putant, ſed dictorum eventus homines in eorum admirationem concitat. Aliqui præterea ex his cum quibuſdam vita defunctis ſermonem habent: fortaſſe quidem ipſi ſoli præ ſenſus acumine, & puritate eos adeſſe cernentes: aut forte ipſorum animo viros, cum quibus verſaturi ſunt, prænoſcente, atque enarrante. Quippe antea in lutulentis humoribus, & caligine demerſus erat: quos ubi morbus exhauſit, & ab oculis tenebras deterſit, quæ in aëre fiunt, prædicant, exutoque ſordibus animo veraciſſimi vates efficiuntur. Sed quorum ſucci, & ingenium adeo extenuati ſunt, hi non diu admodum ſolent eſſe ſuperſtites: cum eorum vitalis potentia jam in aërem ceſſerit, atque abierit.

De Cholera. Cap. V.

CHOLERA eſt materiæ a toto corpore in gulam, ventriculum, & inteſtina retro fluens motio, vitium acutiſſimum. Supra enim per vomitum erumpunt, quæ in ore ventriculi, & gula congeſta fuerant. Infra dejiciuntur hu-

Digitized by Google

mores in ventriculo inteſtiniſque natantes. In primis quæ evomuntur, aquæ ſimilia ſunt: quæ anus effundit, ſtercorea, liquida, tetrique odoris ſentiuntur. Siquidem longa cruditas id malum excitavit, quo ſi per clyſterem eluantur, primo pituitoſa, mox bilioſa feruntur. Initio quidem facilis morbus eſt, dolore vacans: poſtea vero tentiones in ore ventriculi, & gula: tormina in ventre naſcuntur. Si magis ſæviat morbus, & tormina augeſcunt, anima deficit, membra reſolvuntur, cibos exhorrent, animus conſternatur. Si quid acceperint, cum magno tumultu nauſea, & vomitus invadit, tum ſincere flava bilis expellitur: dejectiones quoque ſimiles ſunt. Nervi tenduntur, tibiarum brachiorumque muſculi convelluntur, digiti incurvantur: vertigo oboritur: ſingultiunt: ungues livent: algent extrema: totum corpus rigore concutitur. Si malum ad ultimum venit, tum vero ægrotus ſudore profunditur, bilis atra ſupra infraque prorumpit, convulſione impedita veſica lotium cohibetur; quod tamen, cum in inteſtina humores deriventur, abundare non poteſt: voce privantur: arteriarum pulſatus minimi ſunt ac frequentiſſimi: cujuſmodi in Syncope propoſuimus, conatus ad vomendum perpetui ac inanes fiunt: inclinatio ad dejiciendum prompta, quam Teneſmon Græci vocant: ſicca tamen, nihilque ſucci egerens: mors demum ſequitur doloribus plena, & miſeranda, per convulſionem, ſtrangulatum, & inanem vomitum. Id genus maxime ætate graſſari conſuevit, ſecundo per autumnum, minus vere, hiberno tempore minime. Inter ætates autem juventa, & ea, quæ robuſtior eſt, hoc fere corripiuntur: ſenecta rariſſime: pueri magis, quam ſenes, ſed non mortifere.

Digitized by Google

De Ileo græce vocato, latine volvulo. Cap. VI.

PHLEGMONE in inteſtinis gignitur perniciosum dolorem movens: quippe innumeri torminibus acerbiſſimis necantur. In hiſce, & frigidus flatus, & lentus colligitur, nec infra, nec ſupra facile penetrans. Commoratur autem diu, perque ſuperiorum inteſtinorum anguſtos anfractus revolvitur: unde & affectus Ilei græce, latine Volvuli nomen accepit. Quod ſi ad tormina compreſſio & remollitio inteſtinorum acceſſerit, id vero jam Chordapſus eſt: quod nomen ultima parte elixationem, remollitionemve ſignificat. Chorde autem inteſtinorum vocabulum eſt. Lactes enim Epicordida Græci veteres nominarunt nervos ſcilicet interjacentes, & vaſcula, & membranas: quæ inteſtinorum ſtabilimenta, & fulcimina ſunt. Volvuli cauſa eſt perpetua ciborum multorum, diverſorum, inuſitatorumque corruptio, & alia ſuper aliam cruditas, præcipue ab eſu ciborum, qui Volvulum excitare conſueverunt: quale eſt Sepiæ atramentum in ferculis ſumptum: idem exiſtimandum de plaga eſt, de frigore, de frigidæ potione: ſi, dum quis ſudat, eam large abundeque ingurgitaverit. Ad hæc his Volvulus accidit, quibus inteſtinum cum ſtercore in ſerotum procidit: neque in ventrem repulſum, ſed per vim retentum fuit, his inferiora inteſtina, phlegmone vexari ſolita ſunt. Pueros hic affectus crebro male habet: utpote quos ſæpe cruditas infeſtat: hi tamen ſæpius etiam ſaneſcunt, cum ob conſuetudinem, tum ob humiditatem

Digitized by Google

inteſtinorum; lubrica enim ſunt. Senes raro afficiuntur, ſed multo pernicioſius. Æſtas magis, quam Ver hujus mali referta eſt: Autumnus, quam Hyems. Æſtas utrumque ſuperat. Multi quidem vi torminum repente intereunt: aliis inteſtinum ſuppurat, deinde nigricans tunc, & putrefactum excidit, atque ita deficiunt. Mediocrem Volvulum hæc ſymptomata comitantur, dolor oberrans in ſtomacho, humiditas ſuperans, exſolutio, mollitia, ructus inanes, nihil proficientes, alvus flatibus perſtrepens, qui ad podicem uſque properant, ſed ibi exitus intercluditur. Sin autem ex toto Volvulus occupet: omnia ſurſum petunt flatus, pituita, bilis, hæcque vomitu prodeunt: fiunt perpallidi; frigent toto corpore; acerbo dolore cruciantur; male ſpirant: ſitiunt. Quibus vero jam mors inſtat, gelidus ſudor emanat; urina difficulter exit: anus tam arcte clauſus eſt, ut neque vel tenuem acum poſſis adigere: ſtercus per os redditur: vox aboletur: arteriæ raro inter initia, & parum micant: inſtante morte minime, creberrime; tandem micare deſinunt. Hæc ſunt, quæ tenuibus inteſtinis affectis incidunt. Verum, & in pleniore inteſtino, quod Græci Colon vocant, eidem affectus oriuntur, eademque ſymptomata eandem formam retinentia. Sed nonnulli, quibus colon ſuppurat, hujuſce morbi diſcrimen effugiunt; Cauſa eſt hujuſmodi affectus carnoſa inteſtini craſſitudo. Dolor autem in gracilibus quidem inteſtinis tenuis eſt, & acutus: in pleniore vero inteſtino eſt redundans humiditas, & incumbens gravitas: dolorque modo ad coſtas uſque ſuperiores adſcendit, quando & ſpeciem lateralis morbi præ ſe fert; ſiquidem & iſti febricitant: modo ſub ſpurias coſtas in dex-

Digitized by Google

tram aut in lævam partem deſcendit, ſic ut jecur aut lien dolere videantur; item & illa nonnunquam dolere torquentur. Colon namque prægrande eſt, & quoquoverſum ſe circumvolvens. Quidam ſunt etiam, quibus & in ſacro eſſe dolor inhæreſcit, & in femoribus, & illis in locis, quibus teſtes appenduntur, Græci Cremaſteras appellant. Qui hoc genere tentantur, vomitione plerumque inani laborant: quod ſi quid rejecerint, id eſt ſubtile, bilioſum, olei ſimile. In hoc malo periculum tanto levius eſt, quanto laxum inteſtinum tenuibus corpulentius, pinguius, &, noxæ tolerantius eſt.

De acutis Jecoris affectibus. Cap. VII.

QUIBUS jecur male habet, hi non celerius, quam qui corde ægrotant, ſed majore cruciatu perimuntur: maxima enim jecoris pars ſanguinis concrementum eſt. Si in hujus autem viſceris portis aliqua incidat cauſa mortifera; æque, ac ſi ex corde laborarent, celeriter conſumuntur. Ratio in promptu eſt, quia videlicet hæ partes membranis, nervis gracilibus, & magni ad vitam momenti, grandioribuſque venis contexuntur: præterea, ut ſapientum quidam prodiderunt, hoc loco appetitricis animæ domicilium eſt. Sanguinis utique profluvia e jecore omnium maxima fiunt: neque abs re; venarum enim radicatio jecur eſt. Itaque in ipſo magna vomica haud ita frequenter, neque in particulis magis præcipuis oritur: homo enim vita excedens prævenit. At ſi exiguæ frequentius eveniunt, fit ut mortem quidem evadant, ſed longinquo morbo impliciti crucientur. Ipſius

Digitized by Google

enim functionis, qua sanguinem condit, cessatio non conceditur, neque dilatio: atque hinc ad cor, & ad viscera intra septum sanguis diffunditur. At si qua magna injuria, ut puta verbere, longa ciborum multorum vitiosorumque corruptione, ebrietate, vehementi refrigeratione, phlegmone in portis jecoris excitatur, tunc ægrotus celerrime jugulatur. Ignis enim in profundo corpore depascitur, obscurus, acer. Venarum motus torpent. Doloris species variæ, & diversæ sunt. Nonnunquam enim dextra in parte defigitur adeo, ut acutum telum adactum esse videatur: interdum torminibus similis est, rursum vero interdum dolor cum summa gravitate conjungitur: atque inter dolendum virium debilitas vocisque casus incidit. Transversum septum, & interna costarum tunica inferius detrahuntur: quoniam inde jecur suspensum onere suo degravat. Proinde ad jugulum e regione oppositum vehemens dolor pervenit. Tussicula quædam imperfecta, seu potius tantum ad tussim inclinatio est: si quando vero tussiunt, nihil reddunt: vitiose spirant: neque enim pulmoni transversum septum opitulatur, ei ad constringendum ac dilatandum morem gerens: paulum aëris adducunt, plus exspirant: colore ex atro viridique permixto infecti sunt; plumbea scilicet specie, cibos oderunt, quorum si quid sumpserint, eis inflantur præcordia, ructus bilioси, acidi, greveolentes exeunt, nauseant, vomere frustra conantur, venter solutus multa biliosa excernit, viscida pauca: sed perpetuo augescunt mala; mens haud ita multum delirat; torpida, suspensa, & adtonita est; magna est in corpore segnities, extrema frigent; tremor adest, horrores, singultus inanis, convulsioni similis,

Digitized by Google

morbus regius; pura bilis totumque corpus bilioſo colore ſuffunditur. Quin morbus regius: ante ſeptimum diem ſi apparuerit, plurimos fuſtulit. Quibus autem vel ſanguinis profuſio, vel per alvum multorum bilioſorum exturbatio, vel urina ſincera plurima effluens mortem depulit, poſt tres ſeptimanas jecur his ſuppurat. Quod ſi multum temporis citra abſceſſum prætereat, in hydropem inevitabilem terminatur: hi ſiticuloſi ſunt, parum tamen bibunt; eorum corpus ſquallet, pinguedine carens; appetunt acida, ſed guſtatus ſapores non percipit. Autumnus hoc malum fert, multorum variorumque fructuum eſum ſequente cruditate. Inter ætates florens ei magis obnoxia eſt.

De Venæ Concavæ acuto morbo. Cap. VIII.

AB jecoris portis inter ejus extrema magna vena ingreditur; quæ ſemper in tenues pluresque dum ſcinditur, denique in tenuiſſimas viſumque latentes toto jecore diſpergitur. Iſtarum ſummis oſculis aliæ venarum extremitates committuntur; quæ & gracilibus, & pluribus majores amplitudine, ſed numero pauciores conſtituuntur. Demum in medio jecore in venam unicam grandem coaleſcunt. Inde hæc in duas partitur, quæ jecoris extrema petunt. Harum altera ſuperius primam fibram penetrans, in ejus convexa egreditur: mox tranſverſum ſeptum perforans, in cor inſeritur. Hæc vena concava nominatur. Altera vero quintam fibram, quæ inferius jacet, trajiciens uſque in jecoris gibba

Digitized by Google

(a) ad ſpinam pervenit: & eo loco ad coxendices uſque porrigitur. Ea quoque eodem nomine Concava nuncupatur: quoniam una, & eadem vena eſt ab initio de jecore exoriens. Si quis enim aliquid de ſuperiore vena Cava cordi infixa in eam, quæ juxta ſpinam protenditur, aut a ſpina per jecur ad cor velit impellere, eundem deſcenſum adſcenſumque invenit. Hæc igitur vena, (ut arbitror,) univerſa ægritudines, & acutas, & validas patitur: nam tota una eſt atque continua: a nonnullis autem medicis ea pars duntaxat, quæ ſecundum dorſum diſcurrit, ægrotare creditur: quoniam ejus, quæ cor intrat, notæ obſcuræ ſunt: intra pectus enim rei nulli adhærens, ſed in pectore ſublevata protenditur, donec tranſverſum ſeptum egreſſa cordi inferitur. Igitur ſi quod ingens malum hanc venam corripiat, pectore ambiente deliteſcit. In hac itaque vena Cedmata oriuntur; (Sunt autem Cedmata diuturni affectus ex defluxu materiæ provenientes), quando ſanguis copioſius erumpens citiſſime vitam delet: Per ſuperiora quidem, per pulmones, & arteriam effluens, ſi in pectore fiet effractio. Si juxta principium, in imum ventrem deſcendens in inteſtinis continetur, atque adeo inteſtina replentur; tum priusquam dejectus ſanguis in conſpectum detur, homines intereunt: & ventriculus ſanguine redundat. Naſcitur & circa venam phlegmone, quæ & ipſa, ſi magna ſint; celeriter hominem tollit: ignis enim acer mordaxque in ambabus cavitatibus incluſus accenditur, paucuſque duntaxat foris apparet, ut tangenti flamma tenuis eſſe vi-

(a) *Alias concava.*

Digitized by Google

deatur; æger vero ſeſe comburi exiſtimat; pulſatus arteriarum exigui ſunt, creberrimi, ac veluti oppreſſi atque repulſi: frigus adeſt extremorum, ſitis aſpera, oris ſiccitas; facies decolor rubet: omne corpus ſubrubidum eſt: præcordia dura ſunt atque revulſa: dolor in dextra parte major, & cum eo palpitatio in longitudinem ad ilia uſque perveniens: quibuſdam, & arteria ſecundum dorſum inflammatur: quod pulſatio in alteris præcordiis manifeſtat: nam & ipſa venæ cavæ morborum particeps efficitur juxta illam in ſiniſtro latere poſita, utpote ea, quæ in omne corpus diducitur, nihil levaminis afferente, neque cutim emolliente: cutis autem ſic affectorum ſquallida, rugoſa, atque aſpera eſt: ſed in partibus prominentibus atque oſſeis, ut in cubitis, genubus, digitorumque articulis magis talis conſpicitur: ſomni tumultuoſi fiunt: alvus quibuſdam nihil reddit, quibuſdam exiguum, acre, bilioſum: lotium (*a*) acre mordaxque eſt; mens utique his conſtat, ſed quadam ſegnitie torpet, & corpus tabe conſumitur: tum quotquot hunc habitum viderunt, eum Cauſi, id eſt, ardoris ſpeciem appellarunt, quando quidem quæ adſunt, ſub ardoris genere collocantur. Per Autumnum hæc labes exoritur, cum ferum quiddam, & immane ſapit. Viros ac juvenes occupat, quibus mala vivendi ratio, laboreſque tenuem corporis habitum compararunt. Decimo quarto die hi plerumque moriuntur: quibus morbus diutius trahitur, duplo longiori tempore pereunt. Quotcunque autem aut ab initio puſillam phlegmonem habent, aut magnam paulatim remitten-

(*a*) *Alias flavum.*

Digitized by Google

tem; mortem quidem evadunt, sed nondum morbo liberantur. Hi longo sane tempore causo laborant, verum omnia periculosa jam desinunt, dolores, præcordiorum distentiones, & pulsuum malitia, & mentis ignavia: adhuc tamen fastidiosi sunt, languentes, consilii inopes, simulque & ardor, & sitis, & linguæ orisque siccitas ægrum discruciant: multum diuque trahentes spirant, & subito totum aërem una spiratione refrigerandi causa adducunt. Verum si frigidam quamplurimam affatim bibunt, brevi intervallo molestia levantur: postmodum ipsis sitis accenditur: rursumque uberrime aquam ingurgitant, & hæc est mali successio, & reciprocatio. At egregius medicus, frigidam liberaliter citra noxam propinare potest: ut in aliis ardoribus adsolet: sed longe tutius ardore a vena cava oriente laborantibus eam concesserit. Quod si ventriculus aut vesica potam aquam expellant, neque vomitione opus est: sin id facere nequeant, a multa frigida epota multum vomendum est; homo enim disrumperetur, si tanto bibito humore nihil aut per sudores, aut per urinam, aut per ventrem effunderet.

De renum acutis affectibus. Cap. IX.

RENES quantum ad corporis speciem attinet, haud ita multum periculis patent; tametsi in aliquod acutum vitium incidant: glanduloſa enim ipsorum natura est: ad mortem vero inferendam bene habiles sunt: ipsorum enim actio peropportuna est, urinæ videlicet a sanguine secretio, ejusdemque expulsio: sed eam cohibet aut calculus, aut ingenita phlegmone, aut san-

Digitized by Google

guineum concrementum, aut id genus: quandoquidem ex conſenſu affectionis ob formam corporis provenientis nulla creatur offenſio. Urinæ autem intercluſio omnia ſæva, & acerba facit, ignem acrem, & faſtidium inferentem, dolorem gravem ſecundum lumbos in dorſo, partium diſtentionem, ſed magis circa præcordia. Suppreſſio autem lotii non ex toto fit, ſed ſtillatim quidem mejunt, multum vero effundere cupiunt, redundantiam enim ſentiunt. Quod ſi & acre mordaxque lotium ineſt, frigent, tremunt, convelluntur, diſtenduuntur præcordia, & replentur. Hæc morbi forma perceptioque doloris alvi inflationi a ciborum multitudine corruptioneque provenienti ſimilis eſt. Pulſus initio rari ſunt ac ſegnes: ſi malum plus urgeat, parvi fiunt, crebri, turbulenti, inordinati: ſomni tenues dolore vexati, non continui: ſed repente a ſomno perinde ac ſi quis pupugerit, proſiliunt: poſtea in ſoporem tanquam laſſitudine oppreſſi delabuntur; mentis alienatio haud ita magna eſt: nugantur, facies livet. At ſi quando rurſum mejendi aviditas redeat, cum diſtentionibus magnisque doloribus modicum quiddam, idque ſtillatim ejiciunt: tum paulum cruciatibus levantur, poſtmodum in eam relabuntur, Inter hos illi celerrime pereunt, qui nihil prorſus emittunt. Quicunque vero non moriuntur, (plures enim liberantur), hi aut calculo in veſicam per urinæ ſemitas delapſo, aut phlegmone ſuppurante, paulatimve per diffflationem exhalante diſcrimen evadunt: quamquam enim paulatim, & avare effundatur urina, mortem tamen facile effugiunt: at longo temporis curriculo eorum habitus contabeſcit, atque jure iſta ægrotantes patiuntur, in pejuſque labentes ad colliquationem devolvuntur.

Digitized by Google

Anni vero tempora, loca, ætates hunc morbum ferunt, quæ & in vena cava laborante ferebant. Nonnunquam e renibus ſanguis multus ſubitaneus erupit, multiſque diebus continenter effluxit, verum nemo ex hujuſmodi profluvio moritur: ſed phlegmones ratione, quæ ſimul cum profluvio naſcitur, & ſanguinem coërcet: plerumque autem ex retentione, quam ingens phlegmone facit, moriuntur.

De Acutis in Veſica ægritudinibus. Cap. X.

VESICA difficiles in acutis morbis dolores patitur, & ſi ab aliis vitium participet difficiliores, magiſque mortiferos, ſi per ſe laborare inceperit; quandoquidem omni corpori, & nervis, & menti labem communicare valentiſſime poteſt. Quippe veſica nervus frigidus albusque eſt, & ab innato calido quam longiſſime, quam proxime vero externo frigori poſita. Nam in imo ſacro ventre ad aures thoracis ſita eſt: nobili quoque munere fungitur, urinæ videlicet emiſſione. Hæc porro ſi tantum calculis aut ſanguinis grummis, aut qua propria, peregrinave calamitate intercluſa fuerit, pernicioſum eſt. In mulieribus enim ipſis, & uteri phlegmonas comprimit, in viris autem extremum rectum prælongumque inteſtinum. In pleriſque vero ob involuntariam præ verecundia retentionem in cœtibus hominum, aut in conviviis repleta diſtenditur, conſtringereque non valens nihil amplius excernit. Igitur ubi urina ſupprimitur, ſuperiores quoque partes, renes videlicet, replentur: urinæ ductus, (græci Ureteras appellant,) diſtenduntur: ilia dolor ponderoſus infe-

Digitized by Google

ſtat: nervi convelluntur: tremunt: horrent: deſipiunt. Verum ſi ad hæc & ulcus accedat, & inflammatio, multa ſane damna eveniunt. Sed mors ab ulceribus ſane quam celerrime invadit. Cæterum de ulceribus, abſceſſu, ſuppuratione, & id genus aliis, quæcunque non acutiſſima ſunt, in libro de longinquis morbis tractabitur. Quæcunque vero peracuta ſunt, & intra quatuordecim dies, aut paulo citius ſeriuſve hominem perimunt, qualis phlegmone eſt, aut grumi ſanguinei, aut calculus in cervicem delapſus; de iſtis in præſentia ſermonem faciam. Quapropter ſi quid horum inciderit, urina retinetur: abdomen intumeſcit: dolor acutus totum ventrem occupat: veſica turget: decimo die luteus ſudor exit: pituita vomitur primo, deinde bilis: univerſum corpus friget, ſed pedes vehementius. Si malum vires majores acquirat, tum febres cum ſingultu hominem corripiunt: micant arteriæ inordinatis, frequentibus, ac puſillis motibus: rubida facies eſt: ſitiunt, animo ancipites ſunt: mens non conſtat: nervi contrahuntur. Medicamentis præterea venenoſis, & cantharidibus, aut bupreſte, & pneumatibus veſica deuritur, & tota alvus majorem vim patitur: ac prorſus in pejorem ſtatum delabitur: neque longa mortis mora interponitur. Nonnunquam & ſanguinem veſica effundit: flavus autem ac tenuis veſicæ ſanguis eſt. Sed perraro hac de cauſa homines pereunt, quamvis haud facile ſanguis ſupprimitur. Grumi vero, & phlegmonæ minantur interitum; refrigeratio enim, & extinctio caloris ingeniti ſequitur, quæ Necroſis græce dicitur, gangræna, & quæ eam comitantur mala. Id genus facile hominem tollit. Hæc vitia hieme, & Autumno graſſantur. In ætate virili,

Digitized by Google

magis etiam in ſenecta viget. Reliqua anni tempora, & ætates, neque aſſidue hos morbos ferunt, minimeque mortiferi ſunt. Pueri omnium maxime his calamitatibus vacant.

De Vulvæ ſtrangulatu. Cap. XI.

IN mediis ilibus mulierum Vulva poſita eſt, muliebre viſcus animalis ferme naturam adeptum. Siquidem per ſe huc atque illuc verſus ilia movetur; quin etiam ad ſuperiora e regione pectoris cartilaginem ſubit; in latera quoque in dextram videlicet, aut lævam partem, aut ad jecur, aliave inteſtina movetur: & ad inferiora natura proclivior eſt: utque paucis abſolvam, penitus errabunda eſt, & jucundis odoribus delectatur, ad ipſoſque ſe recipit: contra fœde olentibus contriſtatur, & ab ipſis longius ſe proripit: ac prorſus eſt in homine vulva perinde, atque in animali quoddam animal. Hæc itaque ſi repente ſuperiora petierit, ac diutius ibi commoretur, viſceribuſque violenter incumbat: interdum homo veluti comitiali morbo correpta citra nervorum diſtentiones ſtrangulatur; anguſtiis namque jecur, tranſverſum ſeptum, pulmones, cor celeriter opprimuntur. Qua de cauſa ſpiritus privatio, imbecillitaſque adeſſe videntur. Præterea, & venæ ſomniferæ, (Carotidas græci vocant) cordis vitium participantes, affliguntur: unde capitis gravitates, ſenſuum abolitio cum novo quodam ſopore adveniunt. Incidit etiam ipſis aliud vitium proxime dicto non abſimile: in quo ſpiritus, & vox auferuntur: ſed a vulva non provenit; quippe, & viros infeſtat inſtar morbi, quem Catochon nominant. At mulieribus a vulva

Digitized by Google

male habentibus tetra odoramenta naribus ſubjecta, jucunda vero naturalibus oppoſita opitulantur: altero autem affectu laborantibus hæc fruſtra adhibentur: nihilque opis afferunt. Præterea membra in vulvæ morbo agitantur, in altero affectu quieſcunt. Amplius tremores ſpontana, & non ſponteni, ſed ex ambrothriæi ſubjectione (ab ortivo ſubdititio) excitantur: vulvæ refrigerationes vehementes, copioſæ ſanguinis profuſionis retentio, & id genus alia in cauſa ſunt. Itaque ſi in ſuperiora ſubeunte vulva vexari mulier inceperit, ad obeunda negotia pigrior redditur: exſolvitur, infirmatur: genua labant: vertigo infeſtat: extrema debilitantur: caput dolet, graveſcitque; in venis ab utroque naſi latere jacentibus dolorem mulier percipit; quod ſi ceciderit, ſtomacho mordetur: juxta præcordia, ilia, ubi vulvæ domicilium eſt, inania ſunt: motus arteriarum intermittunt, ordine carent, deficiunt, ſpiritus magnopere angitur, vox intercipitur, ſentiendi facultas impeditur, ſpiratio ignota obſcuraque eſt, celerrima nec opinato mors advenit: nihil enim adeſt, quod mortem inſtare ſignificet, color namque vividus eſt, ac multo poſt mortem tempore magis rubent; oculi parum admodum extantes fulgent, haud ita multum intenti, neque tamen valde remiſſi, & conniventes. Cæterum ſi priuſquam malum ad extremum venerit, aliquando vulva in ſedem propriam migret; a ſtrungulatione liberantur: quando alvus ſubmurmurat: humiditas adeſt locorum muliebrium: ſpiritus aſperior manifeſtiorque redditur; nequaquam tamen ab affectu excitantur, aut ſublevantur; immo quam celerrime interitus advenit: nam facile ſuperiora vulva petit: facile quoque inde recedit. Quippe vulva ſuapte natura ſu-

Digitized by Google

perfluat; membranæ vero eam ſuſtinentes humidæ ſunt: humidus eſt, & locus ubi reconditur. Amplius fuga & apparentia triſtium jucundorumque movetur: quo circa labaſcit facile, ac veluti arboris ramus huc, & illuc, ſuſque deque impellitur. Propterea, & juvenes feminæ id vitii patiuntur, ſeniores immunes ſunt. Quibus enim ætas, & vita, & mens vaga magis, & erratica eſt; his vulva quoque errabunda inſtabiliſque ſit neceſſe eſt. Quibus vero firma ac ſtabilis ætas, & vita, & mens fuerit, his & vulva ſimiliter afficitur. Hæc utique a vulva proveniens ægritudo (ſtrangulatus videlicet) mulieribus duntaxat infeſta eſſe poteſt. Verum tamen communes quoque viris ægritudines in vulva oriri conſuerunt, phlegmone videlicet, & ſanguinis profuſio; communes etiam ſunt, quæ comitantur, notæ; utpote febres, pulſus abolitio, refrigeratio, vocis amiſſio. In ſanguinis autem profuſione, & maturius mors ingruit, quemadmodum cum quis animal jugulat.

De Satyriaſi. Cap. XII.

SATYRI Dionyſio ſacri, qui pictura, quique ſtatuis exprimuntur, arrecto pene figurantur: quod divinæ rei ſignum eſt. Eſt vero, & affectus ſpecies, qui laborantis penem excitat erigitque ob Dei figuræ ſimilitudinem Satyriaſis nuncupatur. Eſt autem inexplebilis coëundi appetitus. Verum neque ſi ad veneris opus accedant, quidquam juvantur, neque multo aſſiduoque concubitu ſedatur arrectio. Convulſiones autem omnium nervorum fiunt, & tendonum diſtentio, & inguinum, partiſque ejus, quæ in-

Digitized by Google

ter inguina, & femen eſt, Plechada græci nominant, genitalium præterea inflammatio, & dolor: in facie rubor ineſt, & vapor quidam roſcidæ humiditati ſimilis: porro ipſi ægri ſeſe incurvant, comprimunt: quieſcunt triſtes, demiſſi, utpote calamitatem ſuam gravatim ferentes. Quod ſi hominis verecundiam id malum ſuperet, turpiter admodum lingua intemperantes efficiuntur. Intemperantes quoque in alvo exoneranda, in venerem laſcivientes, menteque indecenter titubantes, nam ſe continere nequeunt: ſiti laborant, pituitam largius evomunt quam labris ſpuma, quemadmodum hircis in libidinem ruentibus, inſidet, quin etiam haud abſimilis odor eſt: lotium poſt longam retentionem effunditur album, craſſum, genituræ ſimile, alvus reſolvitur, coſtæ, & axillæ ſponte pruriunt ac titillantur; convelluntur: a cibis abhorrent, ſed cum eos aſſumunt, rapaciter aſſumunt: conturbantur. Sin ad interitum ægritudo ſpectat, inflammatur, venterque in tumorem effertur: tendones, & lacerti omnes contenduntur: ægre admodum corpus movetur: membra contrahuntur, arteriæ parvo motu, debili, inordinatoque agitantur. Hæc omnia quandoque diſcutiuntur, ſi alvus perturbata multas pituitoſas bilioſaſque humiditates ejecerit: eaſdem quoque vomitus non abſque diſcrimine effuderit. Nempe medela non vacat diſcrimine, ea per ſomnum profundum longiſſimumque præſtatur. Si quidem refrigeratio, & reſolutio ſtuporque nervorum multus ſomnus eſt: ſtupor vero ac refrigeratio ſatyriaſi medetur. Id morbi genus vere potiſſimum atque æſtate ſævire conſuevit. Inter ætates autem adoleſcentia juventuſque ei maxime patet: præcipueque illi omnes, quorum natura

Digitized by Google

in venerem propenſior eſt. Acutiſſimum id malum triſte fœdumque eſt: nam plerumque in ſeptima die hominem conſumit. Memoriæ proditum eſt, mulieres etiam in hanc labem incidere, & eundem in libidinem impetum, ac cætera omnia ſimilia perpeti. Verum ergo impudicum quendam libidinis ardorem mulieres invadere mihi perſuadeo, mulieres inquam humiditate affluentes, ut ipſius redundantia profundatur: ſed ſatyriaſim id eſſe minime conceſſerim. Neque enim ipſarum natura atque temperies, cum frigida ſit, huic vitio habilis atque expoſita eſt: præterea neque partes ad arrectionem idoneas, quemadmodum Satyrus, unde affectui nomen eſt inditum, mulier obtinet. Quandoquidem neque viri ſtrangulatione ab utero vexantur: quoniam viro uterus datus non eſt.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS
DE
CAUSIS ET NOTIS DIUTURNORUM AFFECTUUM.

LIBER PRIMUS.

JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO *INTERPRETE.*

De Longis affectibus. . . . . . *Cap. I.*
De Cephalæa. . . . . . *Cap. II.*
De Vertiginosis. . . . . . *Cap. III.*
De Morbo comitiali. . . . . . *Cap. IV.*
De Melancholia. . . . . . *Cap. V.*
De Furore. . . . . . *Cap. VI.*
De Resolutione nervorum. . . . *Cap. VII.*
De Phthisi. . . . . . *Cap. VIII.*
De Suppuratione in pectore. . *Cap. IX.*
De Vomica pulmonis. . . . . . *Cap. X.*
De Anhelitu. . . . . . *Cap. XI.*
De Pulmonariis. . . . . . *Cap. XII.*
De Jecore. . . . . . *Cap. XIII.*
De Liene. . . . . . *Cap. XIV.*
De Morbo Regio. . . . . . *Cap. XV.*
De Cachexia, id est malo corporis habitu. . . . . . *Cap. XVI.*

De Diuturnis affectibus, Proœmium. Cap. I.

DIUTURNARUM ægritudinum dolor multus est, tempus colliquationis longum, &

Digitized by Google

medicatio inſtabilis: vel enim haud ex toto deleti ſunt, vel ex qualibet levi offenſa morbi deleti revertuntur. Nam laborantes æquo animo ferre uſque in finem non audent; quin etiam ſi æquo animo fuerunt, in victus ratione nimis longa delinquunt. Si vero & dolor adeſt, laborioſa curatione per ſitim, famem, amara medicamina, & dolorem excitantia, aut per ſectionem, aut uſtionem, quibus in diuturnis morbis egemus, miſeri ægroti cruciantur, ut mortem quam jam pridem appetebant, effugiant: ubi me hercule in magna animi conſtantia diu præſtanda, auxiliis variandis, jucundis citra noxam ægro concedendis, ipſoque decipiendo medici virtus atque excellentia dignoſcitur. Cæterum, & æger fortis ſit, & cum medico adverſus morbum conſpiret, neceſſe eſt: qui non ſolum corpus tenaciter arripiens ipſum celeriter tabefacit, & exedit: verum etiam ſenſum magnopere ſubvertit, animamque inſanam reddit. Namque ab intemperie corporis id genus furorem, atque inſaniam, quam græci Melancholiam vocant, proficiſci novimus: de quibus in ſequentibus dicam: in præſentia de Cephalæa, id eſt, de vetere capitis dolore ſermonem inſtituam.

De Cephalæa. Cap. II.

SI caput repente obvia quaque de cauſa, per plures etiam dies dolorem patitur; hic affectus Cephalalgia græce nominatur: ſi multo tempore dolor infeſtare aſſuevit, & per longos, frequenteſque circuitus, ac in dies major violentiorque inſultat difficulter ſanationem admittens; id genus

Digitized by Google

Cephalæam græco vocabulo appellamus. Ejus formæ infinitæ ſunt: quibuſdam enim perpetuus dolor inhæret exiguus quidem, ſed non intermittens: nonnullis per circuitus revertitur, ut iis, qui quotidiana intermittente febricitant: nonnullis ab occaſu ſolis uſque in meridiem, & tunc ex toto remittitur: vel a meridie in veſperam, aut etiam ulterius uſque in noctem permanet, ſed non multum hæc durat circuitio. Præterea dolor modo eſt in toto capite, modo in dextra magis, modo in ſiniſtra, modo circa frontem, aut ſinciput: hæcque eodem die incerte, & erratice fieri ſolent. Quidam dextra tantum parte dolent, quidam læva: qua tempus, vel auris, vel ſupercilium unum, vel oculus ad medium uſque terminatur, vel qua naſus in æquas partes dividit: ultra quem terminum dolor non progreditur, dimidium tantum capitis occupans. Id vitium ſolum Heterocrania dicitur, haud leve malum: quamvis intermittit, quamvis exiguum eſſe prima ſpecie videtur: nam ſi acute interdum impetum faciat, fœda atque atrocia detrimenta affert: nervi diſtenduntur, facies obtorquetur; oculi vel contenti inſtar cornu rigidi ſunt: vel huc, atque illuc interius convelluntur, ac vertiginoſe agitantur: in ipſiſque dolor profundus uſque ad intimas tunicas deſcendit; ſudor ex tendonibus inmodicus effluit repente: neque cohiberi poteſt: neque ulla cauſa præceſſit, perinde ac ſi quis ligno plagam inflixerit: nauſea, & vomitus bilioſus comitantur: homo conſiſtere nequit, ſed in terram delabitur. Quod ſi vitium quandoque increſcit, de hominis vita actum eſt. At ſi debilius eſt, & citra vitæ periculum, diutius permanet: pigritia multa adeſt, & capitis gravitas: animi pendent, vitam ægre ferunt; fugiunt enim quodam modo lucem, tene-

Digitized by Google

bræque his ægritudinem ſolentur, neque quicquam jucundi, aut intueri, aut audire ſuſtinent; olfactorius in his ſenſus infectus eſt, neque quicquam eos bene olens oblectat; pariter quoque graveolentia deteſtentur: vita ipſis inviſa eſt, mortemque diſcupiunt. Harum calamitatum fons, & origo eſt cum ariditate frigiditas. Si diu teneat, magiſque invaleſcat ægritudo, poſt id genus dolores vertigo ſubſequitur.

De Vertigine. Cap. III.

SI tenebræ oculis prætenduntur, & caput in turbinis modum circumduci videtur, & auribus murmur veluti delabentis cum ſtrepitu fluminis inſonat, aut tanquam ventus flatu vela percutiens aut tibiarum fiſtularumque cantus, aut veluti ſtridor plauſtri currentis obſtrepit; vertigo huic vitio vocabulum eſt: malum quidem, ſi capitis ſymptoma eſt: malum quoque ſi cephalææ ſucceſſit, aut ex ea vetuſta ægritudine ortum eſt. Nam ſi priora vitia non receſſerunt, ſed remanet Scotodine, id eſt, tenebræ oculorum, & apparens motus in orbem, aut longiori tempore cum propriis ſymptomatibus nulla adhibita curatione ad ſummum pervenit, vitium, quod a græcis Scotoma dicitur, a latinis Vertigo, procreatur. Cauſam habet frigidam, & humidam: aliorumque ſæpe morborum, cum inſanabilis evaſit, initium eſt, ut furoris, melancholiæ, morbi comitialis cuique ſuis ſymptomatibus accedentibus. Vertiginibus autem forma ita ſe habet: gravitas adeſt capitis: ſplendida quædam oculis inter multas tenebras ſeſe offerunt: ſuimet æger propinquorum-

Digitized by Google

que ignarus eſt. Cumque morbus augeſcit, tunc tibiæ ſolvuntur, atque humi repunt. Nauſea fit, atque vomitus pituitæ, biliſve tam atræ, quam flavæ: quando flava per vomitum rejecta, furor enaſcitur: atra vero, melancholia; ac pituita exeunte, morbus comitialis efficitur. Omnium quippe morborum talis converſio eſt.

De Morbo Comitiali. Cap. IV.

VARIUM ac portentoſum morbi genus eſt quæ a græcis, Epilepſia dicitur, latine Comitialis morbus: terribilis utique in acceſſionibus, & peracutus, & pernicioſus: quandoquidem nonnunquam acceſſio una hominem rapuit. At ſi diligenti cura vim morbi ſuſtinet laborans; ægre tamen vitam ducit inter fœditates, ignominias atque dolores. Morbus autem non facile recedit, ſed ætatibus melioribus, & pulchriori tempore viget; vexat etim pueros, & adoleſcentes: interdum ſecunda fortuna evenit, ut per ſuccedentem provectiorem ætatem abigatur, quando ſimul cum ætatis flore evaneſcit. Sed & tum quoſdam abiens deformes efficit, pueros quoque pulchritudinis invidia perdit, aut manum inutilem reddens, aut faciem torquens, aut ſenſum aliquem prorſus auferens. Quod ſi malum hoc penitus inſederit, atque radices altius egerit; neque ipſum medicus, neque ætatis mutatio ſummovent, ſed cum ægrotante vivit atque commoritur. Interdum morbus iſte membra oculoſque convellens ac diſtorquens, dolores ciet: interdum & mentem in furorem adegit. Triſte medius fidius eſt ipſius invaſionis ſpectaculum: turpis & ejus de-

Digitized by Google

ſinentia cum ſtercore, & lotio, & ſpontanea ventris ſolutione. Ipſius quoque morbi origo mirabilis, & præter hominum opinionem eſt. Quippe nonnulli flagitioſis hominibus a luna immitti exiſtimant: cujus rei cauſa & ſacrum morbum hunc nominant. Verum & aliis rationibus id nomen ei fuit impoſitum: aut ob magnitudinem, omne enim magnum, ſacrum dici conſuevit: aut quod non humana ope tollit queat, ſed divina: aut quoniam dæmone correptus eſſe homo videatur: aut ob hæc ſimul omnia ſacer morbus appellatus eſt. Quæcunque ſane huic tanquam acuto morbo ſymptomata eveniunt, ſuperius memoravimus. At ſi diu permanet; neque per intermiſſiones citra noxam degunt torpentes, abjecti animo, mœſti, hominum aſpectum conſuetudinemque vitantes: neque ætate procedente mitiores fiunt, vigilant, per quietem multis formidoloſis imaginibus terrentur, cibum ſumere faſtidiunt, ſumptum male conficiunt, decolores, facieque plumbea ſunt, ob ingenii ſenſuſque tarditatem ægre diſcunt: auditus hebes, aures tinniunt: capiti bombi veluti quidam inſonant. Lingua in ſermone perplexa eſt ac titubat, aut ex vi morbi, aut ob vulnera, quæ tempore exacerbationis accepit: tunc enim ob convulſionis nervorum motum lingua in ore variis modis torquetur. Rationem quoque uſque eo morbus conturbat ac dejicit, ut prorſus denique infatuentur. Atque horum omnium cauſa eſt cum humiditate frigiditas.

Digitized by Google

De Melancholia. Cap. V.

ATRA bilis in acutis ægritudinibus: ſi in ſuperioribus apparet, oppido quam mortifera eſt, ſi ad inferiora deſcendens exiit, non valde vacat diſcrimine. In tardis autem longisque morbis, ſi ad alvum bilis atra decurrit, in tormina jecoriſque dolorem finitur. Mulieribus vero purgatio vice menſium advenit, ſi in cæteris abeſt mortis periculum. At ſi ſuperius, ut puta ſtomachum, ſeptumve tranſverſum petit; inſaniam parit, quam Græci melancholiam nominant; flatum namque gignit, & ructus fœtidos piſcium odorem exhalantes; infra vero, & flatus cum crepitu tranſmittit: nec non, & mentem ſimul alienat; proinde melancholicos juxta, & flatuoſos medici veteres ſic affectos appellarunt. Porro quidam reperiuntur, in quibus neque flatus, neque bilis atra colligitur: ſed ira immoderata, & mœror, & ingens animi conſternatio, hos quoque nihilominus Melancholicos nuncupamus. Bilem quidem in iſtis redundare iracundia ſignificat; atram vero bilem, iracundiæ vehementia ac feritas; teſtis autem Homerus eſt, ubi inquit: Inter hos autem ſurrexit heros Atrides late imperans Agamemnon triſtis, furore autem valde præcordia atra circum oppleta erant; ejuſque oculi igni fulgenti ſimiles erant. Tales evadunt Melancholici, cum ab hoc malo interimuntur. Eſt autem animi angor in una cogitatione defixus atque inhærens abſque febre. Mihi profecto Melancholia Maniæ (quæ latine Furor dicitur,) initium atque pars eſſe videtur.

Digitized by Google

Siquidem furentibus animus modo ad excandescentiam, modo ad voluptatem convertitur. At melancholici in tristitia, & animi angore duntaxat versantur. Furentes etiam plurimum vitæ sic transeunt desipientes, & fœda atrociaque committentes. Melancholici vero non una tantum insaniæ specie laborant: sed aut venenum ne sibi detur, suspicantur: aut hominum consuetudinem perosi, in solitudinem aufugiunt: aut ad superstitiosam religionem convertuntur: aut lucem hanc vitamque odio prosequuntur. Verum si quid interdum ex animi angore laxamenti habeant, exhilaratio voluptasque plurimis advenit. Hi vero in furorem præcipitant.

Sed quomodo quibusque sedibus affectis id vitium plerumque contrahatur, subjiciam. Porro si in præcordiis residet causa, circa septum transversum immoratur, bilisque supra infrave melancholicis prorumpit. Si caput etiam per consensum afficitur, & (a) excandescentiæ delirium in risum hilaritatemque per longum vitæ spatium commutatur: hi vero morbi potius magnitudine, quam affectus dolore in furorem prolabuntur. In utrisque nimirum ariditas accusanda. Viri sane, & furore, & melancholia corripiuntur: rarius autem, quam viri, sed deterius mulieres furiis agitantur. Aetas, quæ prope statum est, & ipse status huic malo subjiciuntur. Æstatis tempus, & autumni hunc morbum procreant, ver autem judicat. Inter notas evidentiores hæ sunt, quod videlicet, quieti aut tristes, abjecti, torpentesque sunt absque ratione: nullaque de

(a) *Alias tristitiæ.*

Digitized by Google

cauſa melancholia initium ſumit: præterea in iram facile incidunt, male ſunt animati, vigilant, ex ſomnis tumultuoſe excitantur: ingenti quoque pavore trepidant, cum morbus crementum ſuſcipit: quando & inſomnia vera ſunt, terribilia atque evidentia: quotquot enim a naturali ſtatu valde aliena ſunt, ea non protinus huic malo inſunt, ſed per quietem ſeſe offerunt: cum in aliquid impetu rapti ſunt, poſtea facile eos pœnitet: mutabiles ſunt, turpes, de minimis quibuſque ſolliciti, avari, ſed non ita multo poſt ſimplices, prodigi, multa largientes non virtute animi, ſed morbi varietate. Quod ſi malum exaſperatur, homines oderunt, ab iisque fugiunt: de inanibus conqueruntur, vitæ maledicentes, mortem expetunt. Atque iſtorum multis ſenſus ac mens uſque eo ſtupore fatuitateque capiuntur, ut omnium ignari, ſuiquemet immemores in morem beſtiarum vitam degant: corporis quoque habitus in pejus labitur: colore fœdo, & ex atro viridique commixto tinguntur: niſi inferius bilis deſcendat atque exeat, ſed quoquoverſum per corpus cum ſanguine diffundatur; multi cibi capaces nihilominus tamen extenuati ſunt: quoniam ſomnus in iis neque potu, neque cibo membra confirmat, ſed vigilia ad exterius movet, ac diſſipat: proinde, & alvus arida eſt, nihil dejiciens, nonnunquam vero dejicit ſicca, rotunda, atro quodam bilioſoque circumfuſa: urina pauca redditur, acris, bilioſa; multum flatuoſi ſpiritus in præcordiis eſt: ructus putidi feruntur, graveolentes perinde, ac ſi ex maris lacuna exhalarent: nonnunquam, & humidum quoddam acre cum bile rejiciunt: arteriarum motus fere parvi ſunt, pi-

Digitized by Google

gri, invalidi, crebri, (a) frigori ſimiles. Fama eſt, ex his quempiam inſanabiliter ſe habentem, cum puellam deperiret, medicis nihil proficientibus, ab amore fuiſſe ſanatum. Ego vero ſuſpicor, eum ab initio in puellam exarſiſſe, inde triſtem, & languenti animo, quod ea non potiretur, evaſiſſe, ſuiſque popularibus melancholicum viſum eſſe: at iſte ubi puellæ amatæ ſe conjunxit, mœſtitia receſſit: ira, & animi languor diſcuſſus eſt, gaudium triſtitiam delevit, & mens amore medico prorſum ſanata eſt.

De Furore. Cap. VI.

FURORIS modi ſpecie permulti ſunt, genere tantum unus, eſt enim ex toto mentis alienatio diuturna, vacans febri. Etenim ſi febris quandoque conjungitur, id non ratione furoris proprie, ſed alio quovis cauſa incidit. Quippe & vinum mentem inflammat, & per ebrietatem delirare cogit: præterea quædam eſculenta amentiam pariunt, ut mandragora, & altercus: ſed neutiquam hi inter furentes numerandi ſunt: nam repente hæc adveniunt, & celeriter conquieſcunt: furor autem ſtabilis ac permanens eſt. Furori autem nihil ſimile delirium habet, quod ſenectæ calamitas eſt. Eſt enim ſenſus, mentis, rationiſque marcor, & ignavia ex refrigeratione proveniens. At furor ex calida ſiccaque cauſa exoritur, functioneſque tumultuoſas præſtat. Deliramentum autem a ſenectu-

(a) *Aliter affectui.*

Digitized by Google

te incipiens, nunquam per intervalla desinit, simulque commoritur. Furor vero, & intermittit, & diligenti curatione radicitus vellitur. Sed intermissio non sincera est, quando per se furor desinit; cum non congruenter aut medela, aut temporis anni clementia curatur. Nonnullos namque, qui penitus soluti morbo videbantur, aut veris tempus, aut error in victu, aut ira casu aliquo proritata denuo ad furorem revocavit. Porro illi huic vitio facile patent, qui natura sunt iracundi, acriter excandescentes, negotiosi, faciles, hilares: qui jocosis, puerilibusque delectantur. Illi etiam, qui contrario his sunt ingenio, quicunque videlicet stupidi sunt, tristes, tardi in discendo, in laboribus perseverantes, & qui cum demum quid didicerunt, facile oblivioni tradunt, hi & melancholia promptius capiuntur, qui & antea in furorem procidunt. Verum & in ætatibus, quibus calor, & sanguis multus est, hi furore exagitantur, ut puberes, juvenes, & viri. In quibus autem calor ex atra bile accenditur, corporisque habitus ad ariditatem vergit, his in melancholiam cadere facillimum est. Item victus ratio, multi cibi assumptio, saturitas immodica, ebrietas, luxuria, veneris appetentia hanc ægritudinem concitant. Nonnunquam & mulieres, nisi mundetur corpus, furor infestat; cum ipsarum uteri ad virilem congressum apti evaserunt: aliæ vero haud ita facile, sed admodum acerbe in furorem aguntur. Causæ tales sunt, vir nimium furiosus fit, si consuetus sanguinis exitus, aut bilis, aut sudoris, aliqua de causa repressus est. E quibus furor voluptatis est, rident, ludunt, saltant die noctuque: irascuntur palam: nonnunquam coronati incedunt, ac si ex aliquo certa-

Digitized by Google

mine victores redeant; quibus obviam fiunt, non sunt infesti: ita se habet hujusmodi furoris species. Alii vero ab ira furentes nonnunquam sibi vestes prosciderunt, & servos interfecerunt, & sibi ipsis manus intulerunt, & obvios quosque male habuerunt. Species utique infinitæ sunt. Ingenioſi namque ac dociles Astronomiam callent sine doctore, Philosophiamque possident a nemine traditam, Poeticam quoque veluti a musis infusam norunt. Aliquid enim, & in morbis emolumenti præbet docilitas. Rudes autem atque indocti homines hoc malo circumventi gravia pondera ferunt: figulinam exercent, aut fabrilem: aut lapides cælant. Præterea & monstrosa quædam cogitant. Timebat enim quispiam, ne vasa olearia procideret: Alius non bibebat, se laterem existimans, ne humore dissolveretur, pertimescens. Id etiam fama divulgat, carpentarius quidam olim fuit, cum domi esset, prudens operator: ligna bene metiebatur, scindebat, complanabat, clavis jungebat, aptabatque, in domo exstruenda sobrius cum exactoribus operum versabatur, pacisebatur, pro laboribus justam mercedem poscebat: porro iste in loco, ubi arte sua fungebatur, mente constabat: at si in forum quandoque discederet, ad balneum, aut ad aliud quippiam necessarium; instrumenta deponens primo suspirabat, deinde egrediens humeros constringebat: postea cum e servorum fabricæ, locique illius conspectu abiisset, tum penitus insaniebat, & furore rapiebatur: quod si ad eundem locum celeriter recurrisset, iterum ad se redibat. Hæc erat inter locum illum, & viri mentem cognatio. Causa morbi hujus in capite præcordiisque continetur: modo utroque membro pariter laborare incipiente, mo-

Digitized by Google

do alterum altero invicem lædente. Verum præcipua furoris, & melancholiæ ſedes viſcera ſunt: quemadmodum caput, & ſenſus in phreneticis plerumque laborant; in quibus vis ſenſoria oblæſa eſt; & quæ non adſunt, tanquam jam præſentia conſpiciunt; & aliis non conſpicua, ipſorum ſeſe oculis repræſentant.

At furentes tantummodo vident, quæ videre oportet; ſed de illis non ſentiunt, ut ſentiendum eſt. Itaque ſi magnum eſt malum, promptiore ingenio ſunt, ſenſibus acutiores fiunt, ſuſpicioſi ſunt, iracundi nulla de cauſa, mœrentes præter rationem, cum in ſeverum, & tetricum furor vertitur: cum vero ad animi hilaritatem inclinat, læti, & alacres fiunt. Prius dicti ſine lædente cauſa vigilant: utriſque viſio depravata eſt: capitis dolor, aut ſaltem gravitas comitatur; auditu prompti ſunt, mente tardiſſimi: in quibuſdam ſane peculiares ſonant aures, & bombis adeo perſtrepunt, ut tubarum fiſtularumque voces audire ſeſe exiſtiment: idque fit, cum morbus crementum accipit: multo vento inflantur, anxii ſunt in ſumendo cibos voraces atque avidi: vigilant enim, & vigilia famem ſuſcitat: verum neque, ut ægri ſolent, emaciantur: ſed magis peculiaris melancholicis corpulentia eſt: item pallore quodam ſuffunduntur. Si quod autem viſcerum phlegmone invaſerit, tunc appetentia nutricatiove hebetatur; oculi cavi fiunt, non conniventes: ob quos cæruleæ atræque imagines ſeſe objiciunt ſi ad melancholiam affectus vergit: ſed rubicundiora, & punicea viſa ſunt, ſi ad furorem inclinat: pleriſque etiam tanquam fulgurans ignis apparet, pavorque eos veluti inſtantis fulminis occupat: nonnullis vero, & rubent oculi, & ſanguine ſuffuſi ſunt. In ſummo ægri-

Digitized by Google

tudinis impetu variis ſecundum quietem viſis perturbantur, immoderateque venerem concupiſcunt: neque eos etiam in publico ventrem exonerare pudet: ad mutua, & familiaria colloquia pigri ſunt, commonefacti, & increpiti ad iram excitantur, atque furore penitus inſaniunt. Exinde alius alio modo fuit, quidam immenſum ſpatium decurrunt, & quo perventuri ſint, neſcientes, eodem, unde diſceſſerant, curſu feruntur. Alii per longum iter eos, quibus forte occurrerint comitantur. Item nonnulli vociferantur, latrocinium, aut vim illatam querentes. Alii ab hominum conſpectu in ſolitudines fugiunt; ſecumque tantum modo verſantur. Cum vero jam inclinatus eſt morbus, ſtupidi, quieti, mœſtique ſunt: in notitiam enim morbi venientes, ſua calamitate miſeriaque triſtantur. Alia reperitur furoris ſpecies, qua laborantes propria membra dilacerant, pia cogitatione Diis ſuis tanquam id poſtulantibus gratificantes. Id furoris genus a perſuaſione quadam duntaxat proficiſcitur: in cæteris hi temperantes modeſtique ſunt: excitantur autem tibiæ cantu, aliove animi oblectamento, aut temulentia, aut præſentium hortatu. Deorum afflatu hic furor provenit: qui cum remittitur, hilares ſunt, & curis vacui, tanquam diis initiati: præterea decolores, & macie affecti ſunt, diuque ex vulnerum doloribus infirmum eorum corpus eſt.

De Nervorum reſolutione. Cap. VII.

APOPLEXIA, Paraplegia, Pareſis, Paralyſis, omnia genere eadem ſunt: aut enim motionis, aut tactus, aut utriuſque defectus eſt:

Digitized by Google

interdum, & mentis, interdum, & reliquorum ſenſuum. Sed Apoplexia totius quidem corporis, & ſenſus, & mentis, & motionis reſolutio eſt: proinde Apoplexiam fortem ſolvere nulla facultas poteſt: debilem vero tollere non facile eſt. Paraplegia eſt tactus motuſque remiſſio, ſed in membro uno, ut puta manu crureve. Paralyſis autem motus tantum fere eſt actioniſque defectio. Quod ſi nonnunquam ſolus tactus deficiat, (raro autem id evenit), potius Anæſtheſia, id eſt, ſenſus abolitio, quam Pareſis, id eſt, reſolutio nominatur. At ſi Hippocrates apoplecton, id eſt, attonitum crus ſecundum rectum dicat, illud tanquam mortuo ſimile, inutile, & inſanabile vult ſignificare, quod enim in toto corpore eſt vehemens Apoplexia, illud in crure Paraplegiam vocat. Urinæ autem in veſica aut ſuppreſſio, aut retinendi impotentia, Pareſis proprie eſt. Palpebrarum vero, & malarum, muſculorumque in maxillis, & genæ in alterutram partem diductio, ſi per convulſionem torqueantur, Canina convulſio nominatur. Genuum reſolutionem ſenſuſque per aliquantum temporis ſtuporem, & exanimationem, & caſum Lipothymiam, id eſt animæ deliquium vocitamus. Verum nonnunquam membra ſingulatim reſolvuntur; ſupercilium, exempli gratia, ſolum, aut digitus, aut majora etiam ut manus cruſve: nonnunquam ſimul plura, & alias dextra tantum, alias ſiniſtra, aut unum poſt aliud omnia reſolvuntur exquiſite, aut debiliter: neque tantum quæ diſtantia ſunt, & quæ eodem cenſentur nomine, conjugataque ſunt: ut oculi, manus, crura: verum etiam conjuncta, cognataque; ut nares uſque ad medium, & lingua uſque ad fines, qui in ipſa media poſiti ſunt;

Digitized by Google

una tonſilla, & iſthmus, ipſaque gula dimidia reſolvitur. Ego ſane ſtomachum etiam, & inteſtina, & veſicam, oblongumque inteſtinum uſque ad principium, id eſt anum idem vitium pati exiſtimo. Sed interiora membra reſoluta latent, obſcuraque ſunt; imperfectæ vero ſunt ac dimidiatæ eorum functiones, proinde mihi, & membra dimidia pati videntur in duas partes a morbo diducta. Hæc res nimirum documento eſt, quo dextræ partis facultas, & natura a ſiniſtræ partis natura, & facultate differat. Quippe aſſidens cauſa æqualis eſt, & utrique communes morbi occaſiones; ſive frigiditas ſit, ſive cruditas. Sed utraque haud æque pati idonea eſt. Natura vero æque valens eſt, ubi ſubjecta ſunt æque valentia; idem autem inæquabilis ineſſe nullo modo poteſt. Igitur ſi infra caput aliquod principium affectum ſit, qualis medullæ dorſi membrana eſt quæ nominis ejuſdem ſunt, & contigua, dextra in dextris, & in ſiniſtris læva reſolvuntur. Verum ſi caput primo in dextra patiatur, ſiniſtra, ſi in læva, dextra nervorum reſolutione laborant. Hoc ideo evenit, quod nervorum initia permutata ſunt. Neque enim dextri nervi in dextras partes ſecundum rectum uſque ad extremum progrediuntur; ſed ab initio enati protinus ad oppoſitos tranſeunt, ſe invicem id figuram hujus literæ X, quam græci Chiaſmon vocant, permutantes. Utque ſemel dicam, ſive omne ſimul corpus reſolutionem nervorum patiatur, ſive aliqua membra, ſive ab alterutra, ſive ab utraque parte, nervi de capite fluentes alia ratione patiuntur. Nam ſenſu quidem, ut paucis dicam, hi privantur, non admodum autem facile ex ſe motum amittunt. Quod ſi per communionem cum his, qui moven-

Digitized by Google

ventur, aliquid vitii contraxerint: paulum & ipſi motus perdiderint. Nam & per ſe ipſi motum tametſi minorem naturaliter poſſident. Nervi enim a muſculis ad muſculos tranſeuntes motionis principatum obtinent, & his, qui a capite manant, impertiunt. Nervi enim capitis ab illis plurimum motus participant, tamen ex ſe quoque, licet minorem, vim movendi habent. Atque hi nimirum in motu noxam magis patiuntur. Raro autem uſu venit, ut per ſe jacturam ſenſus faciant: neque tunc ex toto eam facere videntur. At ſi qua copula nervorum ab oſſe quopiam enatorum, & ad oſſa pertinentium, ſoluta, aut rupta ſit, tum membra proprio ſitu non continentur, luxantur, loçoque dimoventur, non tamen ſenſu privantur. Hæ ſunt autem Paraplegiæ ſpecies, quandoque enim membra reſoluta in longum porriguntur: neque, quando extrema longiſſima apparent, iterum poſſunt recurvari: nonnunquam in orbem flectuntur, neque in longum extenduntur. Si quis autem ea, ceu ligna adaptans, & poliens, violenter protrahere nititur, breviora ea ſeipſis inveniet. Utrumque id vitium & in oculis pupilla ſuſtinet: aut enim in amplitudinem magnam diffunditur: idque Platycorien, id eſt, pupillæ amplificationem appellamus: aut hæc eadem in anguſtum contrahitur, idque Phthiſis, aut etiam Mydriaſis a nobis dicitur. Veſica etiam in ſuis obeundis muneribus depravatur, & Pareſim quam vocant, patitur, aut enim per extentionem reſolvitur retinendi impotens lotium effundit: aut in ſe ipſam convolvitur, cum urinæ plena reddere nihil poteſt.

Morbi hujus, Pareſis videlicet, cauſæ prægredientes ſex numerantur; vulnus, percuſſio, refrigeratio, cruditas, venus, vinolentia.

Digitized by Google

Cæterum, & animi immodicæ perturbationes, ut repente incussi pavores, timores, animi consternatio, & mœror: præterea & in pueris terrores: interdum inopinatum atque ingens gaudium: item risus usque ad mortem implacabilis nervos resolvere consueverunt. Hæc utique morbi prima initia sunt. Sed ultima atque potissima causa est ingenitæ caliditatis refrigeratio, quando ab humiditate aut siccitate injuriam patitur: ab hac vero magis, quam ab illa sanatu difficilis læsio est: nec non & a vulnere, nervique intercisione malum insanabile provenit. Quantum ad ætates attinet, senes & ipsi curationem vix recipiunt; pueri facile ad sanitatem redeunt. Inter anni tempora hiems hanc ægritudinem gignit præcipue; secundo ver, tertio autumnus, æstas omnium minime. Habitus corporis pingues natura, humidi, desides, belluini, hoc vitio facile corripiuntur. Affectus hi jam perfecti talibus signis deprehenduntur, immobilitate, sensu sopito, qui neque calidum, neque frigidum, neque vellicantes aut scalpentes, aut aliter contingentes percipiat. Raro evenit, ut istis extremitates doleant: verum sanitati recuperandæ indolentia non leviter prodest. Porro morbus hic repente invadere solet; nonnunquam tamen etiam prælonga habet initia, gravitatem, motum difficilem, torporem, frigoris sensum, alias caloris excessum, somnos breves, cogitationes sive apparitiones vehementiores, atque tunc subito resoluti sunt.

Nempe in Canino vocato spasmo, id est nervorum convulsione, omnes faciei partes convelli, non magnopere usitatum est. Sed ad dextras partes lævæ, ad lævas dextræ feruntur: quando buccæ atque os huc aut illuc, tanquam ex sede propria disce-

Digitized by Google

dente maxilla longius detorquentur. Etenim quibuſdam nonnunquam articulus luxatus eſt, cum valde hiantibus maxilla ad inferiora delapſa fuit: in læſa mala oculi inverſio, & ſtraboſitas, (ut ita dicam) fit: in palpebra inferiore palpitatio: palpitat, & ſuperior alias quidem cum oculo, alias vero ſola. Contenduntur & labia ſeorſum alterutrum, nonnunquam vero, & ambo collapſa balbutiunt: quibuſdam, & exacte occluduntur, poſtea repente ac late dehiſcunt, & ſolitum ſputum cum ſtrepitu ejiciunt, convellitur & lingua; ſiquidem & ipſa muſculus eſt, & nervi; quando ad palatum ſecundum latitudinem tota cohærens ſubito ſeſe removet, & concuſſionis ſonum reddit: convellitur, & columella; ac ſi oſſa, quæ interius ſunt, in unum cogat, inopinatus ſonus redditur, ſi vero dehiſcat, columellam intueberis nonnunquam palato ſecundum latitudinem adhærentem; nonnunquam violentia quadam in longum productam, ac deſcendentem; fiſtulæ perſimilem: quandoquidem & ipſa ſonum edit. Porro caninæ convulſiones decipiunt, quippe integræ ac ſanæ partes ægrotare ſpectantibus videntur. Nam in omnem partem tentione, calore, oculi amplitudine ſanæ partes læſionem pati exiſtimantur. Deprehenduntur vero & ridendo, & loquendo, & connivendo. Siquidem læſæ partes omnes cum violentia, & ſtrepitu quodam trahuntur; labium riſu caret; inter loquendum non movetur; palpebra non volubilis, oculus intentus ac rigens eſt; ſenſus tangendi nihil percipit. At ſana membra loquuntur, connivent, ſentiunt, rident.

Digitized by Google

De Phthisi. Cap. VIII.

Si ab externa causa absessu in pulmonibus facto, aut a longinqua tussi, aut a sanguinis rejectione, pus extussiant; Pye, & Phthisis nominatur. Si pectus autem, costave suppuraverit, materiaque per pulmones traducatur, id genus homines Empyi græce vocantur, Purulenti a latinis dici possent. Quod si & ab his pulmo exulceretur a præterlapso pure corrosus, hoc vitium non ulterius empyma, id est purulentia, sed Phthoem, id est corruptionem appellato. Simul autem adest & ignis assiduus, qui nunquam intermittere videatur, interdiu latens sudore atque corporis frigore. Hæc enim propria Phthoem sequuntur, quod videlicet caliditas excidatur, & in noctem emicat, interdiu rursum in visceribus delitescit; patet autem istorum angor, & imbecillitas, & colliquatio. Nam si per diem corpus ignem evaderet, cur non fieret tunc homo carnosior, & robustior, & morbi tolerantior? ut enim recessit, gravia magis intenduntur: arteriarum motiones parvæ, & imbecillæ fiunt; vigilant, calor languet, alia omnia patiuntur, quotquot febricitantes comitari solent. At species humorum prope infinitæ sunt lividorum, atrorum, purorum ac sincerorum, aut pallido alboque, aut albo, & viridi mixtorum, latorum, rotundorum, durorum, glutinosorum, aut rarorum diffluentium, aut odore carentium, aut fœde olentium. Omnes autem hæ puris formæ ac species sunt. Quicunque vero aut igne, aut aqua humiditates explorant ac notant; hi haud ita multum phthoem mihi di-

Digitized by Google

gnoſcere videntur. Namque viſio quolibet alio ſenſu certior eſt, non modo his, quæ rejiciuntur, intuendis, ſed etiam ægrotantis ſpecie conſideranda. Si quis enim vel plebejus hominem viderit pallentem, imbecillum, tuſſientem, macie confectum: hunc vera Phthoe laborare pronuntiat. Quin etiam quibuſcunque quidem ulceratus pulmo non fuerit, nihilominus tamen diuturnis febribus conſumpti ſunt, ſæpiuſque duriter, & abſque effectu ullo tuſſientes nihil rejiciunt: hos quoque Phthiſicos haud ita multum improprie nominarunt. Simul vero, & his adeſt pectoris gravitas: pulmo enim infirmus eſt: angor, intolerantia, cibi faſtidium, veſpertina extremorum frigiditas, & matutina caliditas: ſudor uſque ad pectus caliditate moleſtior: per tuſſim varia, qualia memoravimus, extruduntur: vox rauceſcit: cervix nonnihil tortuoſa eſt, gracilis, non verſatilis, ſed veluti rigens atque intenta: digiti tenues ſed articuli craſſi ſunt: oſſium duntaxat ſpecies remanſit; ſiquidem, & carnes extabeſcunt, ungues adunci fiunt: digitorum ventres rugoſi, & lati; nam præ macie neque faſciam ambientem, neque rotunditatem obtinent: quam ob rem & ungues adunci ſunt; ea eſt enim digitorum requies & fulcimen, quæ ipſorum extremitates replet; quoniam & ipſi laborem ſuſtinent, utpote qui ſolida membra ſunt. Item nares iiſdem acuminatæ, graciles; malæ exſtantes, & rubidæ; oculi cavi: lucidi, micantes: tumida, excarnis, pallida, ſeu livida facies eſt, buccarum tenuia dentibus inhærent: ridentibus aſſimulantur; in omnibus denique cadaveris ſpeciem referunt. Hunc in modum & cætera ſeſe habent; tenues enim, & carnibus privati ſunt; brachiorum muſculi non apparent; mammarum

Digitized by Google

neque vestigia sextant; solæ autem papillæ cernuntur, costas non solum dinumerare perspicue licet, verum etiam ubi desinant, intueri facile est, neque enim cum vertebris factæ articulationes occultantur, patent etiam in os pectorale costarum insertiones: quarum interstitia inania, & cava sunt, rhombi figuram secundum ossium circumductum ostendentia: præcordia vacua ad superiora convulsa sunt; abdomen, & ilia spinæ dorsi cohæresunt, artus conspicui, prominentes, & macri sunt; perinde se habent, & tibia, & coxendix, & brachium, at spina vertebris superexstat, a priori parte cava, utrisque musculis per tabem dissipatis, scoptula operta tota sese conspectui offerunt, atque avium alas imitantur. Hujusmodi ægrotis si alvus perturbetur, actum est; sin ad sanitatem vergant, pernicioſis contraria signis adveniunt.

Porro senes in hoc malum frequenter non incidunt, sed minime evadunt; Juvenes autem usque ad florentem consistentemque ætatem post sanguinis rejectionem in phthisim prolabuntur; inde sanescunt quidem, sed non facile. Pueri assidue tussi usque ad phthisim nonnunquam divexati facile ad sanitatem redeunt. Habitus vero in id vitium proni sunt graciles delicatique, sectilibus tabulis similes, alarum instar habentes, prominenti gutture, albidi, rariori pectore. Regiones autem frigidæ atque humidæ hujusce affectus germanæ sunt.

De Purulentis. Cap. IX.

QUIBUS hominibus in cavis locis e regione pectoris, aut inferius sub transverso septo

Digitized by Google

puris abſceſſus fiunt, ſi per os id ejiciunt, Empyi, hoc eſt, Purulenti vocitantur. Si per alvum pus dejicitur, Apoſtematiæ græco vocabulo dicuntur. Ac ſi in pectore quidem, cum eſt ulceratum, in pulmone vero, cum phthoe laborant, aut ſi ſubcingente coſtas membrana circa latus, aut os pectoris, quod græci Sternon vocant, aut inferius, ubi pulmo cum ſpina dorſi committitur, cohæreſcitque, aut ſi quo alio pectoris loco vitium ſit, omnibus ad pus excernendum via per pulmonem munita eſt. Sub interſepto vero in viſceribus, jecore, liene, renibus per veſicam, in mulieribus etiam, per uterum tranſitus datur. Nempe cuidam ego aliquando abſceſſum laxioris inteſtini dextra in parte prope jecur diſſecui: multumque inde puris effuſum eſt, multum quoque per renes, & veſicam ad plures dies emanavit: unde, & ſanitatem homo adeptus eſt. Cauſæ vero communes omnium hæ ſunt, plaga, cruditas, frigus, & id genus alia.

Porro, quibuſdam in pectore diuturna tuſſis incumbens, & lateris inflammatio, & vomica pulmonis, fluxio longinqua, nec non & acuti morbi in aliquod iſtorum decubitus, purulentiæ originem præbent. At humor alias iners imbecilluſque alii inhæret, alias acris, & morda̓x, & ad mortem uſque putrefaciens. Nam & ſpecies infinitæ ſunt, quas ſuo loco poſtea memorabimus.

Sed magnum profecto miraculum eſt, & quomodo id fiat, ut ab exili tenuique membrana, nihil craſſitudinis habente, membrana inquam coſtas interius obtegente, tanta copia puris effundatur, multum enim colligi in multis deprehenſum eſt. Hujus rei cauſa eſt inflammatio ex ſanguinis

Digitized by Google

multitudine oriens, ob quam membrana craſſeſcit: verum ex multo ſanguine multum in medio pus contrahitur, id ſi ad interiora ſubeat, coſtarum oſſa ſuam propriam ſedem obtinent.

Sed phthiſis altera ſpecies ſuperius a nobis memorata ſecundum naturam eveniet, ſin ad exteriora procurrat, oſſa disjunguntur: in aliquod enim inter coſtas medium ſpatium ipſius abſceſſus acies exeritur, quando in hanc atque in illam partem coſtarum oſſa pelluntur.

Notarum autem quædam omnium communes, quædam ſingulorum affectuum propriæ ſunt: gravitas potius quam dolor, commune ſignum eſt. Pulmo enim dolorem non percipit: febres obſcuræ, horrores veſpertini, ſudores in remiſſione, vigilia, tumores in extremis pedibus, manuumque digitis ſubinde conſiſtentes, atque inſurgentes; inquies, cibi abominatio, totius corporis macies. Quod ſi & in longum mutatio producitur, habitus phthiſicus redditur; neque enim ultra in officio natura perſeverat: quoniam concoctio non fit, qualis antea: inde caro conſumitur: color, qualis belluæ efficitur.

Spiratio cunctis quidem mala, ſed illis pejor, quibus ad ſuperiorem ventrem morbus adſcendit: quin etiam tuſſis ab initio tantiſper vexat, donec inflammatio, quæ urget, perſeverat: quando & dolores, & horrores augentur, & caliditas, & vigilia, & ſpiritus difficultas adhuc magis increſcunt.

Venarum motus parvi, torpentes, imbecilli fiunt: mens delirat, pectus diſtenditur. Verum enim vero ſi ad ſuppurationem inflammatio veniat, omnia maxima fiunt: ſed rejectio parva eſt cum majore tuſſi, & (a) ex violento abſceſſu;

(a) *Aliter violenta extentione.*

Digitized by Google

in primis pituita fertur bile infecta, ad nigritiem vergens tanquam admixta fuligine, adhuc tamen cruenta ac pinguis pituita eſt. Quod ſi proxime rumpenda inflammatio eſt, quæ rejiciuntur, ſpeciem carnis habent, craſſioraque ſunt. At ſi jam rupta ſit, ſtrangulatus diſcrimen impendet, ſi multum ſubitaneumque pus emanavit: ſi pedetentim vero emittatur, exacte ſanitas advenit.

Porro ſi ad inferiora pus tranſire velit, partes quidem ſuperiores, ubi erat abſceſſus, acutus dolor occupat: alvus vero humida eſt, primum aquoſa cum pituitoſis dejiciens, deinde cruenta quædam circumfluentia, rurſumque carnoſa, cum jam effractus eſt abſceſſus. Hæc pus ſequitur aut per alvum, aut per urinæ vias elabens.

Sed materiæ ad renes, & veſicam tranſmutationes meliores omnibus ſunt. At ſi pus infra ſupra ve feratur, ejus color varius eſt, pallidus, aut albus, aut cinereus, aut lividus, aut ater: pus item aut olidum eſt, aut odore vacans, craſſiſſimum, aut mediocris corpulentiæ: aut læve æquale, aut aſperum inæquale. Et fruſta caruncularum ſimilia in eo fluitantia rotunda, aut lata ſunt: quæ facile abluantur, aut tenacia. Utque in ſumma de pure dictum ſit, quæcunque alba feruntur, concocta, inodora, lævia, rotunda, & celerius extuſſiuntur, aut per alvum deturbantur, hæc tuta, & ſalutaria ſunt: quæcunque autem perpallida, bilioſa, & inæqualia ſunt, ea prava eſſe ſcito. Sed multo his pejora, livida, & atra; putredinem enim, & exedentia ulcera ſignificant. Ad hæc, & habitum ſimul animadvertere convenit, & quæ morbum comitantur: nam ſi excretionem æger bene tolerat, febre vacat, recte concoquit, bene coloratus eſt, bene ad cibos ſe habet, ſi facile extuſſit, ſi arteriarum motus bonus eſt, vires ſir-

Digitized by Google

mæ, ægrotus perniciem evadit. At si febris superveniat, omniaque in deterius convertantur; de salute desperatum est. Præterea, & loci abscessibus occupati simul noscendi sunt; quibuscunque enim in osse pectoris, quod Sternon vocant, empyema id est, Purulentia fit, tarde abscedit; nudæ enim, & excarnes, & cartilagineæ partes illæ sunt, ejusmodi vero non facile phlegmones redundantia suscipiunt, & absque suppuratione multum temporis permanent. Siquidem res frigida cartilagines sunt, sed earum phlegmonæ minime nocent. Ipsius vero habitus colliquationes pravæ sunt; brevi enim tempore suppurant.

Lienis, jecur, & pulmo, & interseptum celerius quidem pus ducunt, sed periculosa, & mortifera sunt.

De Pulmonis abscessibus. Cap. X.

QUICUNQUE pulmonia laborant, si pituita sit, nisi diffundatur, superstites erunt: hi vero morbi primum impetum evadentes purulenti fiunt. Futuri quidem, aut jam perfecti abscessus indicia in capite de purulentis exposuimus. Cum perfectus jam abscessus est, non vi ac laboribus ad eum rumpendum rejiciendumque, quemadmodum in aliis corporibus usu venit, opus est: sed facile per superiora excernitur: cum magis in raritatibus, quam in corporis habitu distentio fiat. Rarus enim ac foraminulentus pulmo est, spongiæ similis, humorem haud molestе ferens: qui aliam post aliam inanitatem eo usque, donec ad asperam arteriam deveniat, permutare solet. Circuitus autem humori faciles sunt, quandoqui-

Digitized by Google

dem flexile atque lubricum pus est. Respiratio etiam sursum spiritum efflat. Sæpius autem mortem effugiunt, nisi aliquando quispiam subitanea ac multi humidi attractione stranguletur: quod arteria puris multitudine obstructa aërem non recipiat. Horum nonnulli progressu temporis moriuntur, quemadmodum phthisici aut purulenti extingui solent. Sputa vero candida sunt, spumantia, cum saliva permixta, alias cineracea, aut subnigrantia.

Et Bronchia, id est, asperæ arteriæ circuli nonnunquam expuuntur ob ulceris varietatem, si alte abscessus penetrat: quando & fragmenta visceris expelluntur. Rauce sunt, breve spirant: gravem vocem edunt: ipsorum pectora late sunt, & latioribus humiditatis causa indigent: oculorum nigræ partes fulgent, albæ vero albissimæ fiunt, ac pingues: malæ rubent: venæ in facie elatæ ac tumidæ sunt. Mirum est autem in his, quod tenor, quam pro corpulentia, major est, animi vero alacritas, & constantia tenore potentior.

De Asthmate, sive Anhelitu. Cap. XI.

Si a cursu, exercitationibus, & quolibet negotio spiritus ægre redditur, Asthma, græce, Anhelitus latine vocatur. Morbus quoque ille, quem Græci orthopnœam dicunt, & ipse Asthma nominatur; in accessionibus enim & ipsi anhelant. Orthopnœam vero appellant, quoniam erecto duntaxat corpore facile spiritum ducunt: decumbentes enim strangulantur: propter extentionem igitur, quæ in spirando adhibetur, affectui nomen Orthopnœa, id est, recta spiratio inditum est. Erectus enim homo ad respirandum extendi-

Digitized by Google

tur, ac si supinus decubuerit, strangulationis in-stat periculum.

Afficitur autem pulmo, simul etiam quæ spira-tioni conducunt, afficiuntur inter septum, & pectus.

At si cor vitiatum sit, nunquam diutius vita produci poterit: hoc enim loco spirandi vivendi-que initium situm est.

Causa est frigiditas spiritus, atque humiditas, materia vero crassi interiusque abditi humores. Huic vitio mulieres opportunæ sunt magis, quam viri: quandoquidem, & humidæ, & frigidæ sunt. Pueri facilius, quam hæ, liberantur: nam ipso-rum natura in incremento est, quæ valentissime calefacere potest. Viri tametsi non facile hoc morbo capiuntur, citius tamen capti pereunt. Differtur autem interitus quibuscunque opere con-ficiendo, aut lanis elaborandis pulmo incalescit, & accenditur: quemadmodum calcis opificibus, aut ærariis, aut ferrariis fabris, aut ignis in bal-neis excitatoribus.

Morbi vero incipientis notæ hujusmodi sunt, gravitas pectoris: tarditas ad opus solitum, & ad aliud quodlibet gerendum: in cursu, aut in acclivi itinere difficilis, & ægra spiratio: rauce-scunt, ac tussiunt: flatus in præcordiis, atque eructationes præter rationem excitantur: vigilant; noctu parum, & obscure incalescunt: nares acu-tas, & ad spirationem paratas habent.

Si malum in pejus ruat, malæ rubent: oculi prominent, veluti in his qui strangulantur: ster-tunt, dum vigilant, multo magis, cum dormiunt; humida, obscura, sonoque carens vox est: mul-tum, & frigidum aërem cupiunt: sub divo ambu-lant: quælibet enim domus ipsis ad trahendum spiritum parva, & angusta est: Erecti spirant,

Digitized by Google

tanquam omni aëre attracto potiri cupientes; præ aëris autem cupiditate & os aperiunt, patefaciuntque, tanquam eo ampliore indigentes. Ipsorum facies præter malas, quæ rubent, pallida est: sudor circa frontem, & jugula emanat: assidua, & aspera tussis infestat: rejiciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti quædam spumæ efflorescentia: inflante spiritu collum intumescit: præcordia revulsa sunt: arteriarum pulsatus parvi, crebri, atque depressi; crura exilia.

Quod si hæc ulterius crementum acceperint, instar comitialis morbi nonnunquam hominem strangulant.

At si vertantur in melius, tussis (*a*) longior, & rarior fiet: plura excernentur sanioſa sputa, & humidiora: multa per ventrem aquea exturbabuntur urina copiosa, scaturieti licet nondum quidquam in ea subsidat: vox sonantior, clariorque reddetur; somni longiores, quantum satis fuerit, efficientur; præcordia remittentur; dolor interdum ad scapulas in remissione transibit; anhelitus rarus, lenis, sed cum vocis asperitate fiet. Ita sane mortem effugiunt.

Sed in morbi cessationibus, licet ipsi non decumbentes obambulent, secum tamen morbi signa circumferunt.

De Pulmonariis. Cap. XII.

ANHELITUS species Pulmonarium est, quod græci Pneumodes vocant. Et a pulmone vitium, quemadmodum & anhelitus, oritur.

(*a*) *Aliter minor.*

Digitized by Google

Quæ inſunt enim, utrique communia ſunt, & exigua differentia eſt. Nam ſpirandi anguſtia, & tuſſis, & vigilia, & caliditas utrumque vitium comitantur: item in cibos odium, & totius corporis extenuatio.

Id enim malum cum fœdum ſit, producitur, neque tamen anni ſpatium excedit. Nam ſi autumni tempore ægrotare quis inceperit, vere, aut æſtate futura vitam finiet: ſin hyeme, ſequenti autumno moriturus eſt.

Interdum, & ſenes in hanc labem facile incidunt, exterriti. Ea correptis levi momento ad perniciem opus eſt: omnes ſimillime ſpiratione privantur: arteriarum motus parvi, crebri, infirmi ſunt. Sed hæc & in anhelitu reperiuntur. Privatim vero hi tuſſiunt, tanquam aliquid expulſuri, cum tamen irritus eorum labor ſit, nihil enim rejiciunt: verum ſi quid ex pulmone vi extruditur, illud exiguum, album, rotundum, grandinoſumque eſt. Pectus in his latius utique eſt, non obtortum, non ulceratum. Tametſi autem pulmo non ſuppuret, humorum tamen veluti concretorum plenus eſt. Temporis intercapedines inter hujuſce morbi acceſſiones longiores ſunt. Nonnulli ex his celerius ſuffocati ſunt, quam aliquid deterius omne corpus invaſerit: nonnullis vero in Hydropem circa ilia, aut in eum, qui anaſarca dicitur, morbus iſte mutatur ac deſinit.

De Jecore Suppuratio. Cap. XIII.

JECUR lieni in generationem æquilibre eſt: dextram enim lævamque partem hæc viſcera occupant, naturaliter paria numero, ſed facultate tam in ſanitate, quam in morbis imparia. In

Digitized by Google

ſanitate quidem, quoniam principatum alimenti jecur obtinet; ſiquidem venarum radicatio jecur eſt. Quin etiam in morbis ad ſanitatem conſequendam multo, quam mors, valentiorem cauſam habet. Igitur quanto ad ſanitatem jecur melius eſt, tanto & deterius a morbis afficitur.

Etenim celerius, & violentius inflammatur, & frequentius perniciosiusque abſceſſum patitur. At duro tumore, qui Scirrhus græce nuncupatur, affectum velocius, atque dolentius, quam lienis, interficit. Quæ ad inflammationem attinent, in libro de acutis morbis propoſui.

Quod ſi in pus convertitur, dolor acutus ad jugulum uſque, aut & ad ſummum humerum pertinet. Nam præ onere interſeptum, unde jecur ſuſpenſum eſt, detrahit: interſeptum vero membranam coſtis ſubſtratam degravat: ipſum enim illa conſequitur, quæ plane ad jugulum uſque, & ad ſummum humerum extenſa eſt, atque hæc omnia ſimul ad inferiora detrahuntur. Ignis acer cum horroribus in ſuppuratione exoritur: tuſſis arida non admodum crebra divexat: colore herbaceo ægri tinguntur: ſi largius colorentur, in auriginem incidunt in albidum vergentes: ſomni haud ita viſis imaginibuſque vacant. Prudentes vero cum ſint in omnibus, in aliquo tamen ad tempus oblato repente delirant, ad ſeque protinus revertuntur. Tumor ſub mammis, aut ſub coſtis oritur: multi autem membranæ Peritonæi tumorem eſſe falſo crediderunt. Verum ſi tumor ſub ſpuriis coſtis fiat, cum premitur, dolor excitatur: jecur intumeſcit: humiditate namque refertum eſt. At ſi non ſub oſſe remaneant, inflatur membranæ ſignum. Et ipſius quidem circumſcriptio & fines patent; poſt enim fibrarum circumductum in vacuum abdomen comprimens

Digitized by Google

manus descendit, ac subsidet. Peritonæi vero interminata duritia est: & extremitatis processus nequaquam cernitur. Porro si ad interiora subit abscessus, longe medico natura præstat: aut enim ad intestina, aut ad vesicam pus convertet; verum multo innocentior est in vesicam via. At si extra feratur abscessus, ipsum non secare utique malum est: nam si prætermittatur incisio, a pure jecur eroditur, nullaque mortis dilatio est. Si secare autem malis, profluvii sanguinis periculum instat, statimque hominem perdi contingit; nam sanguinis e jecore profusio coërceri nullo modo potest. Igitur si aliquando necessario ad sectionem venire cogeris, ustorium ferramentum candens perspicuumque ab igne accipito, & usque ad puris locum intrudito: idem enim tibi & secat, & comburit. Quod si homo periculum evadit, tum pus album effluet, concoctum, læve, olidum, quoniam crassum est istis, febres, & acerba remittunt, omniaque facile mulcebuntur. Verum si in intestinum pus effunditur, ex alvo primum aquea feruntur, postea humori, in quo sint lotæ carnes, similia: item qualia in torminibus, ubi ulcerata intestina sunt, exire solent, interdum cruentum virus, interdum concretus sanguis effunditur: fertur, & bilis flava, sincera, aut porracea, & postrema interitum afferens nigra bilis.

Si non suppurat ulcus, & mali odoris quædam veluti putredinem venter expellit; crudum alimentum præterfluit ob ventriculi intestinorumque intemperiem: neque enim bene se habens jecur iterum ea concoquit: postea ignis acer suboritur, omniaque in malum prolabuntur, carnes colliquatione tabescunt: motus arteriarum parvi sunt, & ægra spiratio; ubi haud ita multo post vitæ finis imponitur.

Digitized by Google

Cæterum quibuſdam difficultas quidem inteſtinorum ulcuſque ſanata ſunt, morbus tamen in aquam inter cutem deſiit.

Quod ſi omnia remittantur, pus album ſit, læve, æquale, inodorum, venter dejiciat, & cibaria concoquat, homo in bona ſpe eſt. Optimum vero eſt per lotium criſim fieri: hac enim ſecurior eſt minuſque maleficus puris tranſitus.

Verum ſi a phlegmone jecur non ſuppurat, nemini dubium fuerit, tumorem durum ſubſidentem in ſcirrhum mutari ac ſtabiliri: quando continuus dolor non infeſtat: cumque adeſt, obtuſus inerſque ſentitur; raro vero & caliditas; a cibis alienatio, ab amaris delectatio, a dulcibus contriſtatio; horrore afficiuntur: ſubalbicant, virent: lumbi ac pedes tument: facies corrugatur: venter ſqualet: dejectiones crebræ fiunt: malorum autem colophon aqua inter cutem.

Poſt aquam inter cutem ſi multa urina, & craſſa feratur, multumque in ea limoſi ſubſideat, & cum impetu erumpat, humorem illum intercutaneum effluere poſſe ſperandum eſt: ſi tenuis autem, ſubſidentia carens, paucaque urina exeat, aquam inter cutem auget fovetque. Quod ſi priſtinas vires natura recipiat, & quandoque per ventrem cum impetu materiam deturbet; poſt multorum, & craſſorum, aquoſorumque depulſionem, & ipſum hydropicum morbum tollere conſuevit. Verum id genus auxilii cum periculo eſt: poſt enim ſubitas, & copioſas inanitiones, extremoſque caſus proſtratis interdum viribus, quemadmodum in ſanguinis profluvio accidere ſolet, ægri interierunt: cum minori autem noxa morborum, ſudor, ſi liberalius effluat, diſſolvit. Hydropici namque haud ita multum in ſumma cute humectari ſolent: atque morbo-

Digitized by Google

rum jecoris hic finis est, quando in jecore pus nascitur.

Adolescentes, & qui usque ad consistentem ætatem pervenerunt, his vexantur morbis: mulieres minus his patiendi expositæ sunt.

Hujusmodi vitiorum causæ numerantur victus intemperantia, & longa valetudo: præsertim post difficultatem intestinorum, & colliquationes; quandoquidem, & eos Synectícos, id est, colliquatos nominant, qui post ulcera jecoris tabefacti moriuntur.

De Liene. Cap. XIV.

LIENI familiaris longus morbus est, quem Scirrhum nominant. Purulentia vero haud ita facile, quandoque tamen efficitur: cum dolor non asper, tumor autem ingens (*a*) spiratione major exoritur. Siquidem in dextram partem ad jecur usque tota communione increscere visus est; unde multi ut fallerentur in causa fuit: tanquam non lienis, sed membrana affecta esset, nam peritonæon, quod græci vocant, inflammatione occupari isti existimant, contumax autem atque indomitus instar lapidis tumor est; talis plerumque a Scirrho lienis efficitur: quando, & ambiguitas difficultasque maxima simul adest.

Verum si forte suppuret, tractabilis est utique & in parte summa, ubi puris quoque creatio est, tactui cedit, quando vero pus non ducit, tactui omnino resistit. Porro nonnunquam scirrhus

---

(*a*) *Aliter dolore.*

Digitized by Google

totus ſuper ventrem ſuſpenſus eſt, in hanc, atque in illam partem, prout impellitur, delabens: donec puſillus cum ſit, locum ad fluitandum habet. Adeſt nauſea, & anxietas: maxime cum inſtat eruptio.

Incrementi autem notæ ſunt febres, dolores, & horrores: multoties enim horrent; nonnunquam vero non horrent, cum brevi caliditate; & dolore vacant, hac de cauſa interdum, & in ſplene abſceſſus oriens latuit, rarum enim, & ſenſu carens in ſanitate quoque viſcus eſt. Turgent iſti, atque humoris, tanquam Hydropici pleni ſunt, atro colore viridi admixto ſuffuſi, ægre omnia patientes, pectore veluti pondere oppreſſo graviter ſpirantes: evidens enim malum eſt; uſque ad ſuperiora ſpiritu venter impletur craſſo, caliginoſo, humido quidem ad ſpeciem, cum tamen non ſit humidus; tuſſis adeſt, multumque irritantur, ſed pauca ſicca extruduntur.

Venter ſi quæ infra depellit aquoſa, primo paulum ſublevat, deinde ſi largius dejicit, hominem quidem tabefacit, ſed nihilominus juvat.

At ſi & abſceſſus ruptus fuerit: pus utique purum, & concoctum nunquam excernitur, ſed ſubalbidum, & cinereum, quandoque fæculentum, aut lividum: quod ſi & profundior abſceſſus fuerit, nigra etiam fertur humiditas, quando & aliqua ſucci lienis, qui ſimul tabeſcit, particula exprimitur. Quibuſdam præterea, & integræ lienis partes exierunt: ſiquidem & natura diſſolubilis lienis eſt.

Cæterum ſi morbus ulcere non ſubſtitit, ſed in longum tempus extrahitur; cibos averſantur, malo ſunt habitu, tumidi, aſpectu fœdi, multis ulceribus toto corpore, ſed maxime in cruribus ſcatent: rotunda, livida, concava, ſordida,

Digitized by Google

ægre ſanabilia ulcera ſunt; ſicque demum tabefacti interiere. At in exiguo tumore cum duritia, & renixu indolentia eſt: unde fit, ut iſti longiorem vitam ducant. Verum ſi ab affectu ſuperentur, aqua inter cutem, aut phthiſis neceſſario ſequitur: & corporis eliquatio ſupervenit: atque iſte ſane perniciei modus ipſos e vita migrare compellit.

Pueri ac juvenes facile calamitatem hanc patiuntur, facileque inde liberantur: ſenes vero non facile utique læduntur, ſed affecti evadere interitum nequeunt. Quin etiam ſeniores quidam neſcientes ipſi vitio lienis abſumpti ſunt: nam & puſillus tumor ipſis cauſa interitus fuit. Longa quoque ægritudo tabidos facit, & juvenibus otium maxime nocet: quicunque a certaminibus exercitationibuſque corpus quieti deſidiæque tradunt: loca paluſtria, aquæ exuberantes, ſalſæ, viroſæ: inter anni tempora ferinus autumnus.

De Morbo regio. Cap. XV.

Si bile flava, vitellina, aut crocina, aut nigra cum viridi mixta omne corpus a viſcere ſuffuſum ſit, affectus hic a Græcis Icterus, a latinis Regius morbus, ſive Arquatus, ſive Aurigo dicitur. Difficile utique in acutis malum eſt: quia non ſolum ante ſeptimum apparens, ſed etiam poſt ſeptimum infinitos necavit, raro autem ad extremum febrem bene indicavit: ipſe vero haud facile diſcutitur.

Neque vitio jecoris tantummodo provenit, ut nonnulli medicorum exiſtimant: ſed & ventriculus, & lienis, & renes, & laxum inteſtinum

Digitized by Google

in cauſa ſunt, & ab jecinore quidem naſcitur, ſi phlegmone, aut ſcirrho viſcus illud opprimitur, a ſolito tamen munere non impeditur, creatur enim in jecinore bilis, eamque in jecinore poſita veſica ſecernit.

Verum ſi meatus ad inteſtinum bilem deferentes phlegmone, aut ſcirrho intercluſi fuerint, veſica autem exundaverit; bilis retro labitur. Cum ſanguine igitur miſcetur, qui per totum corpus diſcurrens, ſecumque bilem vehens in omnia membra diffundit: atque ita corporis ſpecies bile tingitur. Stercora vero albida ſunt, & argillam referentia, neque enim bile colorantur, quoniam humoris ejus affluxu carent: idcirco & venter valde ſiccus eſt, ſiquidem bile neque madet, neque ſtimulatur: color autem ad (*a*) albedinem vergit.

Si morbus regius ab liene ortum habeat, color eſt ater cum viridi mixtus, lienis enim atra bilis alimentum eſt: cum ſanguinis atri effigies quædam ac ſimulacrum ſit, cujus purgamenta non ſuſcipit, neque elaborat lienis ægrotans, inde fit ut per omne corpus cum ſanguine dilabantur. Propterea lienis arquato laborantes cum viriditate quadam nigricant, ipſorum quoque conſueta ſtercora nigriore colore imbuta ſunt, nam quod alimenti in ſplene abundat, ad vias exitus tanquam recrementum propellitur.

A laxo etiam inteſtino, & ventriculo arquatus provenit: ubi concoquendi facultas in ventriculo, & laxo inteſtino, quod Græci Colon nominant, læſa fuerit; nam & in colo concoctio efficitur, & ab ipſo alimentum in jecur digeritur. Igitur

(*a*) *Aliter album cum viridi mixtum.*

Digitized by Google

ægre ſanabilia ulcera ſunt; ſicque demum tabefacti interiere. At in exiguo tumore cum duritia, & renixu indolentia eſt: unde fit, ut iſti longiorem vitam ducant. Verum ſi ab affectu ſuperentur, aqua inter cutem, aut phthiſis neceſſario ſequitur: & corporis eliquatio ſupervenit: atque iſte ſane perniciei modus ipſos e vita migrare compellit.

Pueri ac juvenes facile calamitatem hanc patiuntur, facileque inde liberantur: ſenes vero non facile utique læduntur, ſed affecti evadere interitum nequeunt. Quin etiam ſeniores quidam neſcientes ipſi vitio lienis abſumpti ſunt: nam & puſillus tumor ipſis cauſa interitus fuit. Longa quoque ægritudo tabidos facit, & juvenibus otium maxime nocet: quicunque a certaminibus exercitationibuſque corpus quieti deſidiæque tradunt: loca paluſtria, aquæ exuberantes, ſalſæ, viroſæ: inter anni tempora ferinus autumnus.

De Morbo regio. Cap. XV.

SI bile flava, vitellina, aut crocina, aut nigra cum viridi mixta omne corpus a viſcere ſuffuſum ſit, affectus hic a Græcis Icterus, a latinis Regius morbus, ſive Arquatus, ſive Aurigo dicitur. Difficile utique in acutis malum eſt: quia non ſolum ante ſeptimum apparens, ſed etiam poſt ſeptimum infinitos necavit, raro autem ad extremum febrem bene indicavit: ipſe vero haud facile diſcutitur.

Neque vitio jecoris tantummodo provenit, ut nonnulli medicorum exiſtimant: ſed & ventriculus, & lienis, & renes, & laxum inteſtinum

Digitized by Google

in cauſa ſunt, & ab jecinore quidem naſcitur, ſi phlegmone, aut ſcirrho viſcus illud opprimitur, a ſolito tamen munere non impeditur, creatur enim in jecinore bilis, eamque in jecinore poſita veſica ſecernit.

Verum ſi meatus ad inteſtinum bilem deferentes phlegmone, aut ſcirrho intercluſi fuerint, veſica autem exundaverit; bilis retro labitur. Cum ſanguine igitur miſcetur, qui per totum corpus diſcurrens, ſecumque bilem vehens in omnia membra diffundit: atque ita corporis ſpecies bile tingitur. Stercora vero albida ſunt, & argillam referentia, neque enim bile colorantur, quoniam humoris ejus affluxu carent: idcirco & venter valde ſiccus eſt, ſiquidem bile neque madet, neque ſtimulatur: color autem ad (*a*) albedinem vergit.

Si morbus regius ab liene ortum habeat, color eſt ater cum viridi mixtus, lienis enim atra bilis alimentum eſt: cum ſanguinis atri effigies quædam ac ſimulacrum ſit, cujus purgamenta non ſuſcipit, neque elaborat lienis ægrotans, inde fit ut per omne corpus cum ſanguine dilabantur. Propterea lienis arquato laborantes cum viriditate quadam nigricant, ipſorum quoque conſueta ſtercora nigriore colore imbuta ſunt, nam quod alimenti in ſplene abundat, ad vias exitus tanquam recrementum propellitur.

A laxo etiam inteſtino, & ventriculo arquatus provenit: ubi concoquendi facultas in ventriculo, & laxo inteſtino, quod Græci Colon nominant, læſa fuerit; nam & in colo concoctio efficitur, & ab ipſo alimentum in jecur digeritur. Igitur

(*a*) *Aliter album cum viridi mixtum.*

Digitized by Google

ſi aliud alimentum crudius jecur ſuſceperit, proprium quidem elaborat, & conficit, alienum vero dimittit, ſanguis enim, qui diſtribuitur, coli ceſſationem atque inertiam retinens, in omnem partem labens eam diſſeminat, in colo autem cruditas ipſius bilis effectrix eſt.

Hunc ſane in modum ab omnibus viſceribus arquatus oriri poterit, non modo ab iis, quæ jecori eſcam ſuggerunt, ſed etiam ab iis, quæ a jecore ſuſcipiunt. Neque enim per canales duntaxat ſenſiles, ſed multo copioſius per halitus natura in omne corpus alimenta diſtribuit; qui a toto in totum natura ipſos per ſolidas, ac denſas partes dirigente diſcurrere facile queunt, gignuntur itaque halitus bile infecti, & corpus, ubi inſederint, colorant. Nempe per alvum laborante colo non fit albida excretio; jecur enim creandis ſuccis nullam noxam patitur, exitumque bilis ad inteſtina patentem habet.

Habitus quoque totius corporis ad morbum regium citandum ſummopere efficax eſt; habet enim, & in toto cauſam, quæ hujuſmodi eſt. In omnibus corporis partibus calor ad concoquendum inſitus eſt: in omnibus item humorum eſt creatio ac ſeparatio, ſed aliorum alia, ſingulis autem propria: ut puta in carne ſudor, in oculis lachryma, in articulis & naribus mucus, in auribus Cypſelis græce dicta, Latini aurium Marmorata, ſeu Cerumina vocant. Itaque ſi ad ſingula obeunda munera calidum fatigatum laſſatumque fuerit: ipſum quidem in acre atque igneum vertitur, humiditates autem omnes in bilem abeunt, ignis enim opera amara, & bile infecta ſunt; quod ſi & in ſanguine cruditas incidat, ſanguis bilioſus efficitur, & quoquoverſus nutriens

Digitized by Google

diſpergitur. Propterea, & ubique bilis conſpicitur.

Plane acerbum id malum eſt, color vero ſpecie horribilis: etenim colore aurum repræſentant: ſed non hominem decet, quod in lapide pulchrum fuerit.

At ſupervacuum mihi videtur, unde id nomen Ictterus tractum fuerit, explicare: præterquam a terreſtribus feris quadrupedibus; quas Græci Ictidas, Latini Viverras, aliqui Martes vocant, & ſylveſtris muſtelæ ſpecies eſt: his enim beſtiis oculi hujuſcemodi colore tincti ſunt.

Duæ ſunt hujuſce labis ſpecies: aut enim in flavum croceumque vergit, ſimulque albicat, & vireſcit; aut in lividum nigrumque declinat; atque adeo iſtorum cauſa, & ipſius bilis cauſa eſt.

Aliqua enim bilis flava eſt ſubtilis, perſpicua, tenuioris generis: aliqua magis colore ſaturata, ut crocum, aut vitellum ejuſdem ſpeciei quis affirmet.

Secunda bilis ſpecies nigrioris coloris eſt, porri, aut iſatidis herbæ colorem referens, atra. Inter hæc extrema infinitæ ſunt colorum varietates, penes autem calorem atque humiditates iſtarum mutatio ſit. Quin etiam viſcera hujuſce varietatis cauſæ ſunt: ut puta ſi flavum viſcus ſit, quale jecur eſt, aut lividum, qualis lienis. Quocirca ſi ab aliquo viſcere arquatus oritur: a jecore quidem, jecoris notæ ſunt; a liene lienis; ſingulorumque, unde oritur, membrorum indicia apparent. Si nullius membri ſigna videantur, univerſi habitus ægritudo eſt. Perſpicua vero ſunt, & ea quæ in albiſſimis oculis cernuntur. Frontis autem ſecundum tempora, in corporibus naturaliter albis præcipue, & in parvo arquato color exquiſitior efflorescit.

Digitized by Google

Porro quicunque nigro arquato laborant, in his ater color viridi commixtus apparet, iidem frigent; imbecilli, desides, tristes, atque demissi animo sunt, tetrum odorem exhalant: gustatum amarum habent: spiritus non facile ducunt: in ventriculo morsum percipiunt: alvi excrementa porracea subnigra, arida sunt, ægreque descendunt; urina bene colorata est, ad nigrius vergens; ad hæc cruditate laborant, cibum detestantur, vigilant, mœrent, melancholia agitantur.

At in albiore arquato color est ex albo, & viridi temperatus: mente sunt hilariores: cibos accipere primo eos piget: sed ubi ceperunt, gnaviter comedunt: facilius, quam priores, concoquunt: alvi purgamenta alba sunt, arida, cretacea: lotium reddunt flavum: pallidum, crocinum.

In utrisque corpus omne pruriginosum est: calor in raribus exiguus quidem, sed mordax percipitur: nam bilioſum distrahit laniatque. Gustatus amarorum quidem non amarus, quod mirum est, non tamen dulcis: dulcium vero amarus; in ore namque bilis in lingua residens, & prius cibis occurrens sensum hunc ludificatur, ac decipit. Lingua enim bile suffusa cibos non sentit: atque antea quidem jejunii tempore bilis quiescit: neque idcirco lingua, propter consuetudinem ægre fert; verum si cibis excitata bilis efferbuerit, ipsa cibis objecta prius linguam movet ac stimulat. Itaque sive amara sit esca, amari sensus est, sive dulcis, bilioſi perceptio: bilis enim sensio prævertit. Falluntur autem, qui amara videri dulcia existimant; res enim haud ita se habet; sed quoniam membrum amaro aliquo delibutum duntaxat propter morbi consuetudinem amaritiem non percipit, ideo speciem dulcescentis repræsentat; verum in dulcibus, & amaris cibariis idem

Digitized by Google

ſtatus reperitur: fallacium igitur ciborum velamentum bilis eſt.

Utique ſi nullius viſceris calefactio evidens fuerit, plerumque ſine noxa arquatus eſt, ſed diuturnior; ſi perſeveraverit, atque inſuper viſcus inflammatione vexatum fuerit; in aquam inter cutem, & malum corporis habitum ut plurimum deſinit. Plerique & ſine aqua inter cutem colliquati interiere.

Id malum adoleſcentulis juvenibuſque familiare eſt; quibus & minus officit. Pueris autem, non admodum inuſitatum, non omnino tamen innoxium eſt.

De Cachexia, ſive de malo corporis habitu. Cap. XVI.

OMNIUM ſimul vitiorum malus habitus converſio eſt. Siquidem ab omnibus morbis propagatur, & emanat. Verum & ipſe ſolus citra alios morbos materiam multum lutulentam natus, a principio nova ægritudo gignitur. Et habitus quidem malus ſimplex communis eſt, & ſymptomata multa comitantur: nomenque ipſum ſignificanter inditum eſt.

Gracilitas vero aut pallor aut tumor, & ſi quid aliud inſit, ad tempus durans in corpore exoritur. Malus autem habitus unius ingentis affectus ſpecies eſt: eique nomen tale fuit impoſitum. Nam hominis ad omnia bonus habitus eſt, & ad concoctionem, aut ad diſtributionem ſanguinis creatio, atque omnis naturæ functio inde provenit; hæc conſequitur facilis ſpiratio, validæ vires, floridus calor, ſed prima omnium ſanitas.

Digitized by Google

Quod si ad imbecillitatem vitiosorum corporis humorum, quæ Cacochymia a græcis dicitur, natura conversa fuerit; id jam malus habitus est, quem Græci Cachexiam nominant. Valetudo hæc vix sanabilis est, malumque longissimum: longo enim tempore acquiritur, neque ab uno corporis vitio, neque ab uno viscere prodiens, sed omnium est in deterius conversio. Quo circa ab hac enascentes morbi inevitabiles sunt, ut puta aqua inter cutem, aut phthisis, aut eliquatio. Siquidem & mali habitus causæ colliquationis germanæ sunt.

Morbus autem in multum tempus extrahitur: intestinorum difficultas adest continua: quibusdam morborum reversiones eveniunt: bene utique cibos appetunt, tametsi multos ingerant, ac repleantur: crudi vero, & non confecti digeruntur, quoniam alimenti elaboratio ad coctionem pertinens, debilis admodum atque invalida est.

Labis hujus causæ sunt, & ab hæmorrhoidibus, quas vocant, venis effluvii suppressio, & usitatorum vomituum retentio, & ab exercitationibus quies, & sudorum exsiccatio, & ab ingentibus laboribus otium: quando enim horum singula, quæ aderant, non amplius revertuntur; tunc sequitur corporis gravitas, pallor subinde repetens, venter flatibus refertus, oculi concavi, somni graves torporem afferentes.

Verum enim vero hæc si erratice, & non statis temporibus fiant, morbi inconstantiam infirmitatemque significant: sin altius exactis radicibus maneant, neque desistere velint, ingentis mali nuncia sunt. Stantibus pedes tibiæque intumescunt, decumbentibus autem partes declives atque jacentes. Quod si decubitum mutaverint, tumor in illas decumbentes partes devolvitur:

Digitized by Google

humidique aut frigidi in gravitatem fit circuitus; nam si calor humidum evaporet, id vero non effundatur, postea delabetur. Multos utique cibos appetunt, edaces admodum sunt: celeriori concoctione distributio fit crudiorum magis, quam inconcoctorum, nutricatio non perficitur. Sed hoc inde provenit, quoniam in toto alimentum a natura non concoquitur; in ventre enim atque in omni corpore caloris imbecillitas eadem est; qua propter neque optimus, neque boni coloris sanguis procreatur, cumque crudorum succorum omne corpus refertum fuerit, & ciborum appetenti evanescat; sic malo habitu usque ad ventriculum grassante, & affectu jam summam potentiam obtinente, tunc sane tumidi fiunt, imbecilli, & ad omne opus abjecto prostratoque animo. Alvus siccior est, plerumque recrementa bile privata, alba, aspera, crudaque dejiciunt: corpore squalent, sudore carentes, & pruriginosi, somnus nequaquam firmus est, sed decumbentes connivent: tarde spiritum ducunt: arteriarum motus languidi sunt, debiles, frequentes: post quamlibet autem vel exiguam actionem frequentissimi sunt. Post hæc respiratio cum anhelitu fit: venæ in temporibus elatæ apparent: partes enim, quæ circumjacent, emarcuerunt: verum & in brachialibus longe grandiores inflatione venæ redditæ sunt: sanguis atro colore viridi admixto infectus est.

Ab his phthisis, aut colliquatio hydropem anasarca vocatam, aut ascitem adducit: istorumque procreatio inevitabilis est.

Ætates hujus morbi feraces sunt in primis senectus, neque mortem evadunt. Pueri, & celeriter pati idonei sunt, & liberantur facilius.

Digitized by Google

Florentes ætate haud ita valde huic malo patent, non tamen penitus facile sanantur. Tempus anni non unum hanc fert ægritudinem, neque uno tempore finitur: verum autumnus concipit, hyems alit, ver ad ultimam vehementiam perducit, æstas vero interficit.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS
DE
SIGNIS ET CAUSIS
DIUTURNORUM MORBORUM
LIBER SECUNDUS
JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO
INTERPRETE.

Hæc insunt in hoc Libro.

De Hydrope. . . . . . *Cap. I.*
De Diabete. . . . . . *Cap. II.*
De Affectibus rerum. . . . . . *Cap. III.*
De vitiis vesicæ. . . . . . *Cap. IV.*
De Seminis effluvio. . . . . . *Cap. V.*
De Stomachi vitiis. . . . . . *Cap. VI.*
De Ventris affectu. . . . . . *Cap. VII.*
De Dolore intestini coli. . . . *Cap. VIII.*
De Difficultate intestinorum. . . *Cap. IX.*
De Lævitate intestinorum. . . . *Cap. X.*
De Affectibus uteri. . . . . . *Cap. XI.*
De Articulorum, & coxendicis morbis. . . . . . *Cap. XII.*
De Elephantiasi. . . . . . *Cap. XIII.*

De Hydrope, hoc est, Aqua inter cutem. *Cap. I.*

AQUA inter cutem, quam Græci Hydropa vocant, injucundum aspectu vitium est, &

toleratu difficile, ab ipso enim perpauci liberantur, idque felicitate quadam, ac Deorum potius quam artis auxilio. Majora enim omnia vitia soli Dii medicantur. Nam aut in viscere primario morbus delitescens totum in malum habitum convertit, aut omne corpus ingruente pestilentia in malum succum viscera permutavit: quando sibi utraque vicissim ad perniciem suffragantur: nullaque est pars noxa carens, quæ vel modicam naturæ opem afferre possit. Est autem ad humectationem fluxio frigida, crassa, qualis est nebula universa: aut conversio ab humida, & frigida causa in talem habitum hominem permutante. Neque enim in inferiori ventre fluctuans humidum Hydropa nuncupamus; quandoquidem neque ibi vitium est: sed cum morbum consequitur tumor, inflatio, coloris fœditas: iste in aquam habitus colliquescens hydrops, & est, & appellatur. Nam tametsi nonnunquam foras sponte aqua prorumpit, aut aliquis præcordia rescindens effundit, adhuc in sede sua permanent hydropici. Princeps itaque causa malus habitus est, species autem plures, verum, & ejus nomen aliud, atque aliud; nam si sit humida suffusio, quæ in ilibus fluitet, & præ inflatione, cum verberantur, tympanum quodammodo referant, Tympanias nominatur: at si aqua copiosa in peritonæo continetur, natantque in humore intestina, Ascitem eam cognominarunt: sin autem ilia nihil istorum habeant, sed omne corpus intumescat, si ex alba pituita crassa, & frigida, Phlegmatias ei nomen est: si in humorem sanguineum, aquosum, tenuem, carnes liquatæ fuerint, Hydrops anasarca generatur.

Prava quidem est harum singularum constitutio, pejor autem multo ipsarum permixtio. Nam

Digitized by Google

earum, quæ in ilibus fiunt, una uni earum, quæ totum corpus inflant, ſociari nonnunquam conſuevit. Difficillimus eſt autem tympanias cum anaſarca vocato copulatus. Ex occupantibus enim ilia tympanias aſcite improbior eſt: ex infeſtantibus vero totum corpus leucophlegmatias, quam anaſarca benignior. Mitis quidem ut in deſperatis morbus eſt, ſi minor ſpecies cum minori pariter conjungatur: pejor vero, ſi aliqua ex minoribus cum altera ex majoribus admiſceatur. Quod ſi duarum majorum mixtio exacte facta fuerit, gravius inde malum exoritur.

Notæ autem maximæ ſunt, & viſu, & tactu, & auditu facillimæ. In aſcite namque in ilibus tumorem, in pedibus inflationem videre licet: facies, brachia, & reliqua gracilia cernuntur, intumeſcunt teſtes, præputium, & totus colis ob inæqualitatem tumoris tortuoſus eſt, tangito vero, & aliquam in partem manum imprimens intro moderate pelli[illegible], ad alias enim partes humiditas transfluet. Verum etiam in corporis ad alterutrum latus converſionibus humor in locum declivem, & tumorem, & fluctuationem facit, fluctuantiſque liquoris ſonitus exauditur, quin etiam ſicubi digitum impegeris, locus cavus efficitur, & multum temporis cavus perſeverat. Hæc utique aſcitem ſigna declarant.

Tympanias autem ultra tumoris ſpectaculum, etiam auditus ſonorus eſt, nam ad palmæ percuſſum abdomen ſonum edit, neque ad corporis converſionem ſpiritus locum mutat, etſi enim locus ambiens aliquorſum inclinat, ſpiritus tamen æqualis ſupra & infra ubique permanet. Cæterum ſi in nebulam, & aquam ſpiritus vertatur, (nam aſcites ex tympania gignitur) ſi non per-

Digitized by Google

fecte mutatus aliquando fuerit, ex dimidio factus in ventre fluitat.

Cæterum anasarca & leucophlegmatias ilia inania occupant: tumidam faciem, & brachia reddunt, & quæcumque in aliis vacua sunt, in hujusmodi ægrotis opplentur. Quandoquidem in leucophlegmatia alba pituita, frigida, & crassa redundat, hac omne corpus impletur: facies, collum, brachiaque tumescunt; abdomenque ex inflatione crassescit: mammæ quoque in tumorem excitantur illis scilicet, qui juvenes robusti in ætatis prospera fortuna consistunt. At in hydrope anasarca vocato carnis liquamentum sit in succum speciem carnis referentem, sanieque cruenta, qualis ab intestinorum ulceribus emanat: talis vero, & a membris aliquo gravi, quod super inciderit, corpore contusis, si paulum superficiem fecueris, humor effunditur. Ex duabus quidem speciebus permixtio ambarum indicia obtinebit.

Omnibus vero simul inest pallor, spirationis difficultas, tussis: diversis temporibus segnes sunt: pigritia multa, a cibo alienatio: quod si aliquid assumant quamvis modicum, & flatu carens, nihilominus valde inflantur: distentiones patiuntur, quales ex saturitate fiunt, citra madorem eorum corpus est: idcirco neque in balneis sudore madescunt, præterea albidi sunt, & effœminati.

Anasarca laborantes colore ex atro, viridique permixto infecti sunt: obscuraque, & nigras venas habent.

In ascite atque tympania conspicuæ, atque admodum evidentes sunt in brachialibus atque in abdomine.

In anasarca vero atque phlegmatia tumore omnia delitescunt: somni sunt graves, torpentes, bre-

Digitized by Google

breves: animæ deliquium, circa minima quæque ſollicitudo, vivendi cupiditas, tolerantia non ex animi alacritate, ac bona ſpe, ut in iis eſt, qui proſpera fortuna utuntur; ſed ex ipſa morbi natura; neque cauſa dici poteſt, ſed mirari tantum id licet, quod mehercule magnum eſt, namque in aliis haud omnino pernicioſis affectibus ægrotantes abjecto ſunt animo, triſtes, mortis amatores; in his vero & bene ſperant, & vitæ cupidi ſunt. Ambo hæc contraria morbi efficiunt.

Aqua inter cutem nonnunquam a copioſo frigidæ potu continuo provenit, cum præ nimia ſiti ad ſaturitatem quiſpiam multam aquam gelidam ingurgitaverit; poſtea humidum in peritonæum delatum ſit, atque inde in ventribus inſitus calor refrigeratus fuerit; deinde in ilia guttæ effluunt, quæ prius in aërem verſæ per tranſpirationem digerebantur.

Id igitur ſi incidit: facilior eſt hujus morbi curatio, ante quam viſcus aliquod, aut totus homo affectus ſit. Cæterum, & ventoſus cibus, & cruditas, & bupreſtes aquam inter cutem pepererunt.

Eſt hæc omnibus communis calamitas viris, mulieribus, cuicunque ætati; præterquam quod alii in aliam ſpeciem ſunt propenſiores. In vocatam anaſarcam, & leucophlegmatiam pueri: Juvenes autem ad conſiſtentem uſque ætatem inundationi ilium obnoxii ſunt. At ſenes omnibus quidem generibus ſunt expoſiti, cum inopes ſint caloris; frigida enim ſenectus eſt; verum ad humoris multitudinem contrahendam apti non ſunt; ipſis igitur tympanias accidere conſuevit.

Omnes quidem ſpecies pravæ, hydrops enim morborum omnium vitium eſt; ſed inter ipſas leucophlegmatia mitior habetur: nam multæ, &

Digitized by Google

variæ ſunt ejus tollendæ proſperæ occaſiones, ſudoris, aut lotii excretione, aut alvi nonnunquam in hujuſmodi ægrotantibus copioſo effluvio, jam abeunte aquæ inter cutem habitu. Difficilis autem tympanias eſt; adhuc tympania difficilior anaſarca.

Oportet enim medicum hoc in morbo totum hominem permutare. Quod per Jovem neque Diis ipſis facile fuerit.

Nonnunquam, & exigua in parte homo aquam inter cutem patitur, ut ſecundum caput in eo morbo, qui Hydrocephalus nuncupatur, aut in pulmone ſolo, aut jecinore, aut liene, in mulierum utero, & cæteris hæc ſpecies ſanabilior. Nam ſi ejus oſtiolum a priori concluſione hiare cœperit; humorem quidem ſi habeat, effundit: ſi ſpiritum, efflat; quod ſi uterus anaſarca laboret, plurimum tota mulier aquam inter cutem patitur. Alia quædam hydropici morbi ſpecies talis agnoſcitur: in ea veſiculæ quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ in loco ubi Aſcites fieri ſolet, excitantur. Cæterum, quod humore multo refertæ ſint; illud indicio eſt, ſi abdomen perforaveris, parum admodum humoris effundes. Ab interiori namque parte veſica occluſit: at ſi in veſicam inſtrumentum impuleris, iterum ſuccus emanabit. Hæc utique aquæ inter cutem ſpecies haud levis eſt: unde enim id genus veſiculæ eruperint, via haud facile reperitur. Alii namque affirmant hujuſmodi ampullas per inteſtina tranſiiſſe. Ego vero id nunquam vidi: idcirco, neque non ſcribendo affirmo, nam ſive ex inteſtino colo, ſive ex ventre ferantur, qualis ſit ipſarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo: iter enim ad omnium excretionem per ſedem lubricum, ac patens eſt, at ipſius

Digitized by Google

humoris in ilibus collecti per inteſtinorum ruptu-ram egreſſio credi non poteſt: neque enim inno-xium, neque citra perniciem inteſtini vulnus eſt.

De Diabete, ſive urinæ profluvio. Cap. II.

DIABETES qui vocatur affectus, miraculum quoddam eſt, haud ita ſæpe hominibus uſitatus, carnium, ac membrorum in urinam colliquatio. Frigida atque humida, ut in aqua inter cutem, cauſa eſt. Tranſitus autem conſue-tus renes, & veſica. Neque enim cum inter-miſſione lotium reddunt: ſed perinde atque ca-nales laxati ſunt, indeſinens eſt profuſio.

Diuturna eſt hujus morbi creatio, & longo tempore parturitur. Brevis erit autem hominis vita, in quo affectus iſte perfectus fuerit: velox enim eſt colliquatio, & feſtina interdum mors advenit, & vita fœda eſt, ac vexata doloribus.

Sitis intoleranda eſt, potus copioſus, multitu-dini tamen lotii non reſpondens: copioſius enim lotium redditur: neque eos quiſquam neque a potu, neque a mictu inhibere poteſt. Quod ſi vel punctum temporis inhibeantur, ſi quidem a potu, os ſiccatur, corpus areſcit, viſcera ipſi ſua conflagrare opinantur, omnia faſtidiunt, de omnibus dubitant, haud multo poſt mortem obeunt, ardentiſſima ſitis adeſt. Mictum vero quæ ratio ſuppreſſerit, aut quæ verecundia do-lore potentior? Sin autem vel parum temporis a mejendo abſtinuerint, intumeſcunt lumbi, teſtes, & ilia: cumque remiſerint, lotium quidem ca-lefactione profundunt, tumidæ vero partes detu-meſcunt: in veſicam enim confluit exundatio.

Digitized by Google

Cum morbus iſte jam perfectus eſt, facile omnes eum deprehendunt. Sed cum futurus eſt, os humore privatur: ſaliva eſt albida, ſpumans, perinde atque in ſiti: nondum tamen ſitiunt, præcordia gravia ſunt: calorem, aut frigus a ventre in veſicam tendere ſentiunt, prout adventantis morbi proceſſus eſt, quin etiam paulo plus lotii, quam moris erat, effunditur: ſitis adeſt, ſed nondum vehemens. Cumque amplius crementum morbus accipit, calefactio parva quidem, ſed mordax viſceribus inhærens exoritur, abdomen habent rugoſum, venas exſtantes, totum corporis habitum gracilem, quando & urinæ profluvium, & ſitis jam auctæ inſigniter ſunt: cumque ad extremum colem vitii conſenſus pervenerit, protinus urinam reddunt: atque inde mihi huic morbo Diabetes appellatio indita fuiſſe videtur, perinde ac ſi pertranſeuntem dixeris, quod in corpore humor non remanet. Sed ubicumque in homine collectus ſtagnaverit, ad exitum labitur. Durant ſane aliquod tempus, licet non admodum diu: nam cum dolore mejunt, atque atrox fit liquefactio; neque enim ex potu aliqua inſignis portio in corpus abſumitur, & carnium magna copia in urinam eliquatur.

Hujuſce languoris cauſa aliquis acutus morbus eſſe poteſt, qui hanc in partem impetum fecit, & in criſi aliqua malignum virus latenter morbi reliquerunt. Haud incredibile eſt etiam aliquod pernicioſum venenum ex his, quæ veſicam, & renes infeſtant, huic affectui cauſam præbuiſſe. Quin etiam, ſi quis a Dipſade morſus ſit, talis morſum effectus ſequitur. Dipſas autem reptilis fera ſi quem percuſſerit, ſitim non ferendam accendit, iſque copioſe bibit; neque ſiti medetur, ſed ventrem obruit humore; adeo

Digitized by Google

inexplebilis est bibendi cupiditas. At si quis ob ventris distentionem doleat, graveturque humoris copia, & ideo paulum temporis a potu abstineat; iterum sitiens largissime bibit. Atque hæc est malorum vicissitudo: se namque mutuo sitis, & potus adjuvant.

Alii præterea sunt, qui lotium non reddunt: neque ulla est alia ejus, quod bibunt, transpiratio: itaque potius insatiabili aviditate, humoris inundatione, ventris distentione, repente ac penitus disrupti sunt.

De Renum affectibus. Cap. III.

RENES substantia glandulas, quas Græci Adenas vocant, referunt: colore autem rubidiores sunt, quale est jecur potius, quam mammæ, aut testes: nam hi adenes sunt, verum albiores. Figura testibus similes, lati magis sunt, juxta & retorti. Sinus habent exiguos ad lotium excolandum cribrorum instar foraminibus pervios. Ex utroque nervosi canaliculi tanquam fistulæ expullulant, qui in vesicæ terga utrinque sese inserunt: æqualis est autem lotii a renibus in vesicam via.

Hujusce viæ multi atque varii affectus renes, prædictosque meatus male habent: aliqui acuti sanguinis profluvio, & febribus, & inflammationibus jugulantes; hi vero sunt, quotquot ego enumeravi: aliqui diuturni hominem colliquatione dissolventes, haud lethales quidem, sed insanabiles, & una cum ægroto commorientes.

Diuturni itaque sunt abscessus, ulcera, calculorum exortus, hæmorrhoides vocatæ.

Digitized by Google

Ulcera quidem hominis ex abſceſſu facta omnia plane diuturniſſima ſunt, atque ægre ſanationem recipientia.

Calculorum vero diuturna eſt creatio, cum dolore obſtructiones: haud enim facillimus eſt exitus: ad hæc difficilis eſt, & lotii ſuppreſſio. At ſi multi ſint, & exigui calculi, ſeſe mutuo impedientes, remorantur; aut ſi unus ſit magnus, locorum anguſtiis intruſus inhæreſcit. Atque ſi utroque in rene hæc fieri uſu veniat, intercluſa urina, diſtentiſque locis, paucis diebus ſuperſtites ægri moriuntur. Bene ſane natura renum ventrem oblongum, & urinæ canalibus magnitudine æqualem fabricavit, exiguis quidem calculis ampliorem, quo ſuperius concretus calculus expeditiſſimum in veſicam iter inveniat, atque ideo lapilli oblongi generantur. Plerumque enim prope urinæ fiſtulas id genus lapilli concreſcunt, & quotquot eo loco fiunt, inæqualis craſſitudinis ſunt: priori in parte ob canalium anguſtiam gracileſcunt, poſteriori autem craſſiores fiunt; quoniam renes deorſum vergunt, in ſolis autem renibus oriuntur, hiſque igneo calore ferventibus; neque enim ſedem in fiſtulis urinæ calculi obtinent, ſed arenulæ cum lotio per eas fiſtulas in inferius delabuntur, quæ, & indicia, & materia hujuſce affectus ſunt.

Quod ſi aliquando grandior effectus lapis concavo renis inhæſerit, tunc dolores lumborum circa muſculos, quos Pſoas Græci appellant, excitantur, & ad medias uſque coſtas perveniunt. Multis ſane dolor iſte, perinde ac ſi morbi lateralis eſſet, impoſuit: præterea gravitas adeſt coxendicis; deorſum ægre incurvatur, difficulter adnuunt: tormina dolores inferunt gravia, perſeverantia: inteſtinum enim ſinuoſum eſt: cumque exundat

Digitized by Google

urina, & distentiones increscunt, ad mejendum, ut in parturiginibus, proritantur: flatuosi sunt, sed flatus excerni nequeunt, febres adsunt mordaces, præaridæ, squalida quidem lingua, sicca vero est alvus: macrescunt; a cibo abhorrent: quod si quid adsumant, neque concoquere, neque distribuere facile possunt.

Si autem in lotii canaliculum lapis inciderit, concussio corporis fit, ut in rigore calculi progressus sentitur (*a*) communi simul violento. Quod si in vesicam delapsus fuerit, lotium aquosum uberius effunditur; alvus dejicit; flatus inde exhalant; extentus stomachus est: ructus eduntur; a prioribus malis quies datur: interdum quoque ulcerato canali præter lotium cruor emanat. Secunda porro calamitas est, cum per colem calculus transmittitur. Nam si amplior sit, quam urinæ iter (Græci Urethram vocant,) capere possit, in eo multum temporis hæsitat, atque vesica multitudine urinæ completur: tumque ejus majore cum dolore suppressio fit; nam cum vesica, & canales ureteres vocati veluti incenduntur. Ægerrime autem tortuosi calculi exeunt: quosdam enim, & hamatos vidi, in meatibusque adnatas quasdam callosas duritias: plerumque autem oblongi propter canalium rectitudinem figurantur. At colore nonnulli albicant argillam referentes, talesque sæpius in pueris generantur: alii flavi sunt instar croci, hi vero in renibus reperiuntur, quibus in renibus creari solent; crebrius enim pueris in vesica lapilli oboriuntur.

Concretionis autem causæ geminæ sunt. In renibus frigidum corpus, & crassus sanguis, fri-

(*a*) *Hæc verba abundare videntur.*

Digitized by Google

gidum vero craſſas materias celerius cogit: indicio ſunt aquarum natura calidarum fontes: hæ namque refrigeratæ in tophaceum lapidem condenſantur. At in pueris multum ſanguinis limum elixatum generandi calculi veluti ſedem ignis habet. Igitur in calculi creatione talis eſt affectio.

Cæterum nonnulli ſunt, qui per quoſdam circuitus ſanguinem mejunt; hujuſmodi affectus hæmorrhoidum profluvio ſimilis eſt; ſimilis eſt quoque corporis conſtitutio, nam valde palleſcunt, torpent, ignavi ſunt, cibum faſtidiunt, cruditate laborant, & cum excretus eſt ſanguis, languidi fiunt, membra reſolvuntur; caput vero levius, & agilius redditur. At ſi per circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebeſcit, tenebræ eis obverſantur, vertiginem patiuntur. Inde alii infiniti in comitialem morbum incidunt, tumidi veluti caligine perfuſi, aquam inter cutem patientibus ſimiles: alii morbo atræ bilis, aut nervorum reſolutione tentantur. Nam ex conſueti profluvii ſanguinis retentione hujuſmodi mala proveniunt.

Si quidem a renibus defluat ſanguis mundus, lotio non permixtus, plerumque tamen cum veſicæ urina confuſus emanat. Nonnunquam, & ex renum diſruptione ſanguis fertur multus collectim, verum cogitur, & in grumos denſatur: utque in ſanguine extra corpus effuſo fieri adſolet, interdum utique, & in veſica congelatur, quando atrociter urina ſupprimitur.

Ruptionem vero ulcera diuturna, atque vix ſanabilia ſequuntur; indicia ſunt ramentum, aut membranula araneæ inſtar rubida egrediens; aut pus album mejendo profuſum, modo purum, & ſincerum, modo cum urina permixtum. Ab iiſdem, & abſceſſus dignoſcendi ſunt, ſi veſperi ſe-

Digitized by Google

bres acceſſerint, & rigores: dolores circa lumbos, & pruritus. At ſi ruptus fuerit, grumi purulenti, carniſque formam repræſentantes ejiciuntur: quin etiam & albida ſanies excernitur. Ulcera vero mordacia ſunt, modo repurgata, modo fordentia: id pus manifeſtat: urina quoque aut olida, aut nihil olens.

Ver ſanguinis profluvia, & abſceſſus parit, hiems autem, autumnuſque calculos. Quod ſi a calculis ulcera facta ſint, inſanabiles inde morbi naſcuntur, cita colliquatio, morſque adveniunt.

De Veſicæ affectibus. Cap. IV.

VESICÆ morborum nullus placidus eſt, quippe acuti inflammatione, vulneribus, convulſione, febribuſque acutis interficiunt. Ulcus vero, & abſceſſus, aut reſolutio, aut lapis magnus tolli nequit: neque enim potione, aut medicamento frangitur, aut circumteritur; neque præter noxam exciditur; opus eſt enim, & tenues veſicæ partes ſimul cædere; id vero aut eodem die hominem perdit, aut paucis diebus convulſionibus, febribuſque conſumit. Niſi excidatur autem, præter urinæ concluſionem doloribus, febribuſque, aut liquationibus homo contabeſcit. Fin haud ita magnus ſit calculus, frequentius lotium cohibetur; nam facile in cervicem delapſus lotii tranſitum obſtruit: ſecurius autem quam grandiores exciditur, ſed veſica quoque neceſſario ſauciatur: cumque mortis periculum evaſerint, in fiſtulam, Græci Rhœada vocant, prolabuntur, quod licet periculo vacet, ingenuis tamen hominibus non eſt tolerandum, perpetuum ſcilicet urinæ profluvium, ſive quis ambulet, ſive dormiat, ambulantibus vero maxime injucun-

Digitized by Google

dum. Valde parvi autem calculi plerumque citra noxam exciduntur.

Quod si vesicæ inhæserit calculus, ex colliquationibus patefiet: sed neque dolorum, neque gravitatis expertes sunt, licet urinam expedite reddant; sin minus, & urinæ difficultas accedet.

Omnes vero calculos ex fabulosis urinæ subsidentiis deprehendentur: & quod istis virilia sæpius arriguntur; quando enim mejunt, subestque calculus, dolent, tractant, attrahuntque pudenda, tanquam calculum cum vesica exempturi. Anus quoque vitii particeps redditur pruritu laborans. Prominet vero & rectum intestinum vi, contentionibus, imaginatione perinde, ac si jam lapis excernatur. Ambo enim inter se copulantur anus, & vesica: quorum uno affecto, & alterum afficiatur necesse est: propterea inflammato podice urinæ exitus clauditur; & vesica exacerbata sedes non dejicit, licet alvus admodum sicca non sit. Tales utique sunt ex calculis labores.

At sanguinis effluvium tametsi non admodum cito enecet, tempore tamen procedente infinitos jugulavit. Ab eo vero grumi creantur, lotii suppressio, & matura mors non secus, atque a calculis fieri compertum est, quamvis enim sanguis tenuis flavusque est, neque valde crassus, neque concretus, vesica tamen longo tempore congregat, ac eadem calefaciens, & elixans cogit consistatque, atque ita grumus efficitur, & urinæ intercluso, quam Græci Ischuriam vocant, inferendæ morti potentissima. His accedit dolor acutus, ignis acer, lingua arida, & ab his delirantes moriuntur.

Sin autem a vulnere dolor excitetur: vulnus utique mortiferum est, ulcus vero, & si non protinus interficit, febribus tamen, aut inflammatione insanabile redditur. Tenuis quidem est

Digitized by Google

craſſitudine veſica, nervus autem ſubſtantia; quocirca neque carnem contrahit, neque facile ad cicatricem ducitur. Accedit, & urina bilioſa, acris: mordax ulceris, communis victus. Veſica enim cum repletur, diſtenditur: cum inanis eſt, ſubſidit; in extenſione igitur, & contractione eundem, quem & articulus, affectum patitur. In articulo vero nullum ulcus bene ſaneſcit; ſuppurationem autem ex abſceſſu contrahit.

Veſicæ ſigna eadem ſunt; quæ, & in aliis membris inflammatis. Nam etſi febribus rigoribuſque ſuccedat abceſſus, eadem pericula impendent. Verum ſi pus craſſum, album, non tetri odoris ejiciat; ab his orta ulcera benigna ſunt. At ſi depaſcantur; fæculentam, mucidam, graveolentem urinam reddunt. Hujuſmodi ægrotantibus non tarda mors advenit. Mordax quidem urina eſt, & cum dolore eſt ejus emiſſio. Ad ſummum uſque colem dolor pervenit. Ipſos utique omnia etiam contraria lædunt, & ſaturitas, & inanitio, & otium, & exercitatio, & lavatio, & illuvies, & ſaturitas, & jejunitas, & dulcia, & acida: cum alia alios lædant, alios juvent, in unum autem convenire convenire non poſſint.

De Seminis profluvio. Cap. V.

MORTIS quidem periculo vacat Genituræ profluvium, injucundum tamen eſt, & vel auditu inſuave. Nam ſi intemperies, & reſolutio humida occupat, genitaliaque membra, (ut a frigidis contingere ſolet), profluit ſemen: neque ipſum vel in ſomnis cohibere poſſumus, verum ſeu quis dormiat, ſeu vigilet, continens profuſio eſt: neque id, quod fit, ſenſu percipi-

Digitized by Google

tur. Ægrotant quoque & tali morbo mulieres, ſed partibus illis prurientibus, & cum voluptate nonnullis genitura profunditur: quin etiam virilem coitum impudenter appetunt. Viri autem nequaquam pruriunt: nam quod effluit, humidum, tenue, frigidumque eſt, ſine colore, infecundum. Qui enim genitale ſemen refrigerata natura emiſerit?

Quod ſi juvenes hoc vitio laborent, omnes ſenilem corporis habitum induant neceſſe eſt: quippe qui ſegnes fiant, reſoluti, exanimes, torpentes, hebetes, imbecilli, recurvi, ignavi, pallentes, albidi, effeminati, a cibis abhorrentes, frigidi, membris graves, & ſtupidi, cruribus impotentes, & ad omnia remiſſi, & languidi. Multis ſane id genus ægrotatio ad nervorum reſolutionem (Paralyſin Græci vocant) viam ſtravit. Quomodo enim nervorum facultas non afficiatur, cum natura ad vitæ generationem faciens refrigerata ſit? Atqui & genitura vitalitatem impartiens nos viros efficit, calidos, articulatos, hirſutos, vocales, animoſos, ad intelligendum operandumque valentes: id viri teſtantur. Contra vero quibus non ineſt vitalis genitura, rugoſi ſunt, debiles, acutæ vocis, glabri, imberbes, effeminati: eunuchi id manifeſtant. Si quis autem vir, & ſeminis profundendi abſtinens fuerit, robuſtus eſt, audax, neque vel feras expaveſcens: teſtimonio ſunt ex athletis temperantes. Nam, & illi, qui natura quibuſdam præſtant, ob intemperantiam deterioribus multo pejores fiunt: contra natura deteriores ex temperantia præſtantioribus longe meliores evadunt. Neque ſane ab alio quopiam, quam a genitura robuſtum animal generatur. Vitalis itaque genitura ad ſanitatem, ad robur, ad animi fortitudi-

Digitized by Google

nem, & ad generandum mirifice confert. A Satyriasi in feminis profluvium corporis ſtatus devolvitur.

De Stomachi affectibus. Cap. VI.

STOMACHUS delectationis, triſtitiæque princeps eſt cordi periculoſa vicinia, ad tenorem, animique alacritatem, ſive abjectionem, ob animæ conſenſum præcipue ſtomachi facultas confert. Hæc mihi alio loco dicta ſunt. Delectationis quidem hi fructus ſunt, bona concoctio, carnis conveniens incrementum, floridus corporis color. Triſtitiæ vero iſtorum contraria, nonnunquam, & animi abjectionem, cum alimento caret, inducit, atra bile vexatur, cibum refugit. Cum itaque ſtomachus ægrotat, eſcas odit, & abominatur, non modo cum offeruntur, verum etiam ſi non in conſpectum dentur, ſed eas memoria repetant, aut anxietate, aut madore ſtomachi, aut ejus oſtioli dolore perciti, & ſalivam effundunt quidam, & vomitibus lancinantur; corpuſque ſimul ab his vexatur. Quod ſi ventriculus iſtorum vacuus eſt; dolorem, quam cibi ſumptionem facilius tolerat. Sin autem interdum ad alimentum capiendum accedere cogitur, id multo pejus eſt. Labor quidem famis eſt, ore conterere, in devorando dolor, & major conflictatio. Cæterum non erga uſitata quidem ita ſe habet, erga aliena vero optime, ſed quæ naturaliter habent, in contrarium mutata ſunt, & omnia gravatim ferunt, fugaque adeſt, & odim alimentorum. In interſcapulis præterea dolor inhæret: ſed longe major ſi edant devorentque; faſtidiunt, animi pendent, viſus hebetatur, aures ſonant,

Digitized by Google

caput gravatur, membra torpent, crura, brachiaque reſolvuntur; palpitant præcordia; dorſum imaginantur verſus crura moveri: alias alio, huc atque illuc ſeſe ferri exiſtimant, ſeu ſtent, ſeu jaceant, quemadmodum a ventorum flatu harundines, aut arbores agitantur: pituitam frigidam, aqueam rejiciunt.

Quando vero, & in bilioſis redundat bilis; iſtorum oculi tenebris caligant; ſiticuloſi non ſunt, etſi a cibis ſitire videntur; vigilant; tardi ſunt; dormiunt non vero tamen ſomno. Ii qui ſopore gravi (Coma Græci appellant) occupantur, ſimilia patiuntur; macie confecti, valde pallentes, debiles, reſoluti, animæ deliquium patientes, animo conſternati, meticuloſi, quieti, repente tamen iraſcentes, valde melancholici; nonnunquam enim in atram bilem, quam Melancholiam Græci nuncupant, id genus ægrotantes inciderunt. Talem utique ſtomacho impatiente animæ affectum eſſe oportet.

Verum homines compatibilium membrorum ignari, in quibus hæc graviſſima vitia fiunt, ſtomachum eſſe cauſam opinantur; magnum autem ad ea, quæ dico, probanda teſtimonium cordis contiguitas eſt, ubi omnium principatus collocatur; in medio enim pulmone cor ſedet: horum autem medium ſtomachum conjungit: ambo vero dorſo inſerta ſunt: propter hanc itaque cordis viciniam, & dolor ille excitatur, quem Cardialgiam Græci nominant, & reſolutio, & morbi melancholici.

Nempe morbi cauſæ & aliæ ſunt plurimæ: præcipua vero pus multum a ventre per ſtomachum effuſum. Familiare eſt etiam id vitium illis, qui tenui victu, & duriore coacti ſunt uti: quin etiam illis, qui ut erudiantur, laborant, &

Digitized by Google

ejus cauſa multa perferunt, quibus ineſt divinæ ſcientiæ cupiditas: qui cibi parſimonia, & vigiliis macerantur: qui doctos ſermones, & res graves meditantur: qui victum pleniorem & varium contemnunt, ſed famem pro alimentis habent, pro potu aquam, & in ſomnis vigilant: quibus molle cubile eſt nuda humus, ſtragula veſtis ignobilis, tunica lacera, ipſorum vero tectum eſt communis aër: divitiæ autem adeptio, atque uſus divinæ ſapientiæ. Hæc utique ipſis eruditionis amore bona comparatur. Cumque cibum, & illum quidem ignobilem accipiunt: id vitæ tantum, non ſaturandæ famis, neque potum vini cauſa aſſumunt, non eos abſtrahit voluptas, non vagatio, & peregrinatio, non corporum exercitatio, nec carnium circumpoſitio; a quo enim diſciplinæ amor non avocet? a patria, a parentibus, a fratribus, a ſe ipſis uſque ad mortem. His igitur corporis macies adeſt, decolor facies, & in juventa ſeneſcunt, & ob contemplationem ſtupidi habentur: animo autem ſeveri, non ridentes, immites ſunt. Atque ob ſtomachum erga cibos male effectum cito ſatiantur cibo uſitato, vili, & ad manum, variis autem dapibus non ſunt aſſueti, & erga omnes cibos pigri ſunt; quod ſi aliquem inuſitatum cibum acceperint, lædunt, omnes alios protinus averſantes. Iſte eſt ſtomachi longus morbus.

Inflammationes vero, deſtillationes, oris ventriculi morſus, (Cardiogmon Græci vocant) aut dolor, ſtomachalis affectus non dicitur. Hunc morbum ætas affert: quando & concoctionis, & appetitus, & omnium eſt impotentia. Inter ætates vero ſenecta, quibus, & abſque morbo ob vitæ finem, & appetentia ad extremum pervenit.

Digitized by Google

De Affectu ventriculi. Cap. VII.

VENTRICULUS concoctioni deſtinatum viſcus in concoquendo laborat, cum alvi profluvium, quem Græci Diarrhæam vocant, hominem premit, & eſt liquidi alimenti inconcocti profluvium: niſi a recenti, & proxima cauſa unum aut alterum tantum diem permanente oriatur.

Præterea, & totus homo debilis redditur, quia corpus non alitur, unde longus morbus, Cœliacum quem vocant, efficitur, latine ventricularis dici poteſt, ob concoquentis caloris imbecillitatem, frigusque ventriculi: cum liqueſcit quidem a calore alimentum, ſed non concoquit calor, neque in ſuccum proprium vertit, ſemicoctum imperfectumque relinquens, cum perfectionem aſſequi non poſſit, id vero concoctione deſtitutum ad pravum commutatur, & colore, & odore, & conſiſtentia; albus eſt enim bile privatus color: olida excernuntur, & lutulenta; liquida, & inconſiſtens ob profligatam actionem ſubſtantia eſt, virtutem modo atque principium coctionis præ ſe ferens. Hac de cauſa venter flatuoſus eſt, ructus aſſidui, tetri odoris. Quod ſi deorſum penetrent, ſtrident inteſtina, flatus erumpunt aſperi, humidi, argilloſi, videtur autem ipſis tanquam humidum quoddam effluere. Dolor ventriculi gravis eſt, aut ſubinde punctiones referens, gracilis vero, & emaciatus homo redditur, pallidus, iners, nihil ex negotiis uſitatis valenter efficiens; ſed cum ambulat, membra labaſcunt, temporum venæ exertæ ſunt, ſiquidem ob alimenti penuriam tempora habent concava:

Digitized by Google

atque in omni corpore venæ insignes apparent: non modo enim morbus iste non concoquit, verum statim neque in molem corporis distribuit. Nam haud solum concoctionis, sed etiam digestionis vitium mihi esse videtur. Porro si in incremento morbus sit, materias ab omni corpore in ventriculum rursus adducit: tunc ea jam est corporis eliquatio, os est aridum, superficies squalida, nihil sudant: ventriculus nonnunquam ut ab ardenti carbone peruritur, alias tanquam a crystallo conglaciatur, interdum vero sanguis in extremo vitæ discrimine constitutis in dejectionibus flavus defluxit, purus, non permixtus: ut venæ ostiolum patefactum esse videatur, acredo namque venas exedit. Longissimum, & difficulter curabile vitium est. Etenim si absque manifesta causa desiisse videtur; iterum invadit, ubi, & ex levi errore jam denuo suboritur. Per circuitum igitur morbus iste revertitur.

Senibus hoc malum familiare est, & mulieribus magis quam viris. Pueris autem ventris effluvium assiduum est ob quotidianam cibi intemperantiam, sed non ventriculi debilitate morbus advenit. Ex anni temporibus æstas hoc malum sæpius affert, secundo autumnus: deinde hiems frigidissima, si proxime ad extinctionem calor deveniat. Diuturnum quoque morbum, & affectus iste, & difficultas, & lævitas intestinorum consequuntur. Verum & largissimus frigidæ potus interdum hanc labem progenuit.

Digitized by Google

De Colicis id eſt inteſtini plenioris morbo laborantibus. Cap. VIII.

COLICI ſane volvulo, & ſtropho, id eſt torminibus celeriter necantur: longe plurimæ ſunt hujuſce morbi cauſæ. Signa vero hæc ſunt, gravitas in jejunio, ubi affectus maxime urget: pigritia multa adeſt, tardi ſunt, cibos refugiunt, graciles, vigiles, facie tumidi. Quod ſi prope ſplenem ægrotet colon, id eſt, laxius inteſtinum; colorem habent nigrum cum viridi mixtum: album vero cum viridi, ſi prope jecur; ab his enim proximis viſceribus malum communicatur. Sin autem cibum acceperint quantumvis paucum, & flatu vacantem, mirum in modum tum inflantur, & difflandi quidem cupiditas eos inceſſit, ſed inferius exitus intercluditur: ſuperius vero ructus violenter tentati neque ipſi finem aſſequuntur. Si qua vero parte flatus vi erumpunt, viroſi plane odoris ſunt: ſurſum petentes, & acidos ructus excitantes. Renes, & veſica in partem hujus doloris adducuntur, & urina cohibetur; iſtis alia pro aliis accedunt. Miraculum autem his majus eſt, quod in teſtes, & cremaſteras, id eſt, ſuſpenſores inopinatus dolor invadit. Non paucis medicorum hæc morbi communicatio in occulto eſt: ſiquidem nonnunquam & ſuſpenſores exſecuerunt, propriam morbi cauſam eos continere opinati, quocirca, & his pro aliis alia fiunt. Ab hoc quoque vitio alia prodeunt, abſceſſus, & ulcera non mitia, aqua inter cutem, & phthiſis morbi inſanabiles, nam a frigore, & craſſis humoribus, & longe

Digitized by Google

glutinosa pituita propositi intestini dolor exoritur. Quin etiam & ætate, & tempore, & regione frigida, & aspera hieme provenit.

De Dysenteria, id est, difficultate intestinorum. Cap. IX.

SUPERIORA intestina ad cæcum usque tenuia, & biliosa sunt, atque inde Græce Cholades nominantur, post hæc inferiora usque ad intestini recti initium crassa, & carnosa sunt. In omnibus ulcera fiunt, dysenteria vero est horum ulcerum species: idcirco, & varii existunt morbi. Aliqua etenim superficie tenus intestina radunt, excoriationem tantum facientia, & innoxia sunt: sed longe innocentiora, si in inferioribus intestinis consistant: alia paulo etiam profundiora ulcera, verum neque hæc immitia sunt. Alia profunda non uno loco manentia, sed exedentia, glandulosa, serpentia & sphacelum inferentia, mortifera sunt. Venulæ quoque in hisce ulcerum pastionibus circumrosæ apparent, & in his ulceribus stillationes sanguinis largiores cernuntur. Alia est species ulcerum, quæ oris tumentibus aspera sunt, inæqualia, callosa, ut in ligno Gemmam dicimus, id genus ulcera vix medicabilia sunt: neque enim cicatricem facile contrahunt; & facilius aperiuntur.

Dysenteriæ causæ plurimæ sunt: principes autem cruditates, refrigerationes assiduæ, acrium ciborum assumptio, obsonii, quod Græci Myttoton vocant, Latini Moretum dicerent: cepæ ipsius, allii, carnium vetustarum, acrium esus: a quibus postea cruditas supervenit. Super hæc

Digitized by Google

humidum aliquod inusitatum, ut mixtura illa, quæ Cyceon græce dicitur: aut potio Ryteon appellata: aut qualia in singulis regionibus loco vini fiunt contra sitim remedia: plaga præterea, refrigeratio, & frigidæ potus intestina exulcerant.

Excrementa vero, & quæ cum ulceribus sunt, alia atque alia in aliis atque aliis reperiuntur. Nam si in superficie sint; ex superioribus quidem tenuia, biliosa, inodora, præter eum, qui ab intestinis fit, odorem: jejuni autem intestini excrementa puriora, crocea, mali odoris. Aliqua vero, & cum alimento liquato quidem, sed aspero exeunt, at modo gravis odor ob ulcerum putredinem fit, modo ut a solo stercore provenit. Ab inferiorum autem intestinorum ulceribus aquosa, tenuia, sine odore feruntur. Sin profundiora ulcera sint, sanioſa effluunt, subrubida, vinosa, aut instar aquæ, in qua caro lota sit, & hæc modo sola, modo cum stercore, hocque liquidum est circumfuso humore dissolutum, non infectum bile, inodorum: aut compactum, siccumque, sed ob humorem circumfluentem lubricum dejicitur. Cæterum si majora, leviaque ulcera sint, & in superioribus intestinis eorum ratione, a quibus, & per quæ transeunt; biliosa effunduntur; sedem enim vellicant: nam bilis acris est, eoque magis si ab ulceribus effluat, bilis vero, & instar unguinis pinguis est. Ex profundioribus autem ulceribus, sed inferioribus cruenta manant, crassa, pituitosa, carnosa, non valde pinguia, ramentosa: utpote quæ ab intestinis abstrahantur, quin etiam & integræ intestinorum partes commixtæ sunt. Excernuntur quoque, & albida, crassa, mucosa, adipis concisi similia, humore circumfusa. Hæc utique a recto oblongo intestino feruntur.

Digitized by Google

Nonnunquam ſane mucoſa tantum, vellicantia, parva, teretia, mordaciaque egeruntur; crebro ſurgere cogentia, & dejiciendi cupiditatem cum voluptate afferentia: ſed quæ dejiciuntur valde pauca ſunt. Teneſmus huic vitio nomen eſt.

A cæco autem carnes longe rubicundæ, & grandes excernuntur, circumſcriptionem multo majorem habentes: in ipſo enim majora fiunt ulcera, cruor etiam craſſus, fæculentuſque emanat, & hæc omnia multo quam ante dicta fædius olent.

Cæterum poſtquam ſerpunt, & exedunt ulcera, & nullo remedio ullo in loco coerceri poſſunt; a ſuperioribus quidem non ſolum exquiſite bilioſa, ſed & crocina, ſpumea fæcem vini referentia, & nigra, iſatidis, & porri ſuccum repræſentantia, ante dictis craſſiora, atque inſtar putredinis graveolentia dejiciuntur. Alimentum nunc minus concoctum eſt, ſolum ut a dentibus voracius contritum. At ſi inferiora inteſtina ulceribus erodantur; guttæ cruoris atræ, craſſa, carnoſa, rubida, grumoſa, nonnunquam nigra, multis modis variantia, olida non ferenda, per ſedem expelluntur, humiditatumque exitus involuntarii fiunt. Nonnunquam oblongum quiddam in pluribus non diſcretum, inſtar ſani inteſtini dejicitur: & ignaris ſuſpicionem præbuit inteſtini. At negotium ita ſe habet, inteſtinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ ſunt, & altera alteri oblique ſuperinjecta eſt. Igitur cum earum connexio diſſolvitur, interior tunica ſecundum longitudinem abſiſtens foras egreditur, exterior ſola intus remanet, & carnoſa efficitur, & cicatrice ſolidatur: ſaneſcuntque homines, & vivunt; id vero inferius inteſtinum ſolum patitur: in cauſa eſt tunicarum carnoſa ſubſtantia.

Digitized by Google

Quod si ex quopiam vasculo cruor emanet flavus, aut niger; purus, non cum cibo aut stercore mixtus effunditur: verum concretum quiddam latis araneolis simile extenditur, in grumum enim, cum refrixit, obduratur: neque sanguinem excretum esse credideris, ob sonum autem multum cum spiritu major quam pro effectu, excretionis est apparentia. Interdum, & in pleniore intestino purulentus absessus efficitur, nulla novitate ab aliis internis ulceribus differens: etenim signa, & pus, & ulcerum medicatio penitus eadem sunt.

Si res duræ, carnosæ contritis asperisque corporibus similes excernantur, absessus non benigni mortis significatur. Nonnunquam ex laxo intestino aqua multa dysenteriæ modo profluit, idque plurimos ab hydropico morbo liberavit. Ulcera quidem intestinorum (ut paucis dixerim) hujusmodi sunt. Cæterum, & ipsorum formæ, & ab ipsis purgamenta tot sunt, quot supra comprehendimus.

Quæ singulis quoque ægrotantibus accidunt, explicabimus, seu placida, seu noxia ulcera sint. Itaque collectim dictum esto, si exulceratio superficie tenus fuerit sive supra, sive infra, febrem non habent, nec dolorem: ac sine decubitu tenui victus ratione diversis modis sanescunt. Sin ulcus altius descenderit, in superioribus quidem mordacia tormina, & acria sunt tanquam a pauca calida bile, aliis, atque aliis temporibus suppurant intestina: plerumque vero suppurant, aut coctiones dimidiatæ sunt, cibos tamen non horrent. Si inferiora ulcerata sint, longe superioribus sunt salubriora, hæc enim humiliora intestina multo carnosiora sunt aliis. Sin cava, & depascentia ulcera in superioribus grassentur,

Digitized by Google

febres acutæ concitantur, non emicantes, in viſceribus demerſæ: extrema refrigerantur; cibus faſtiditur, vigilia adeſt, ructus male olent, nauſeabundi ſunt, bilis vomitus, vertigo, cumque multa expellantur, (ea vero bilioſiora ſunt,) tormina, atque alii dolores magis perſeverant. His accedit virium conſumptio, genuumque reſolutio; ardore æſtuant, ſitibundi ſunt, & anxii, atra per nauſeam rejiciunt; lingua eſt arida; pulſus puſilli, debiles, atque his germana ſunt, quotquot de pernicioſis ulceribus mortifera expoſui, oris etiam ventriculi dolore uſque ad animæ deliquium torquentur. Quidam vero neque ex eo deliquio in priſtinum reſtituti ſunt, ſed in tali affectu vitam finierunt. Hujuſmodi calamitates, & inferiorum inteſtinorum corroſionibus communes ſunt, ſi depaſcantur ulcera; neque eorum depaſtionem compeſcere valemus, præterquam quod tormina doloreſque ſub umbilico inferius, ubi ulcera ſunt, percipiuntur. Formæ autem excrementorum tales ſunt, quales ſupra poſuimus. Verum ſi inter initia parva ulcera ſint, in longumque tempus depaſtio producatur; alia aliis ulcera ſuperveniunt, aliquibus miteſcentibus, aliquibus in ſummum excreſcentibus quales enim ſunt in mari fluctus, talis eſt in ulceribus tempeſtas. Cæterum ſi quando natura reſiſtere potens fuerit, ſimulque & medicus ſubvenerit, depaſcentia compeſcitur, mortiſque timor removetur: inteſtina tamen dura, tumida, cicatricoſaque remanent, & non niſi longo poſt tempore ſaneſcunt.

Verum enim vero cum ab inteſtinis cruor erumpit, ſi ex magna vena, aut arteria exeat, matura mors advenit: neque enim aut manum intromittere, doloremque attingere, aut medica-

Digitized by Google

mentum ipſi ulceri adhibere poſſumus. Quin etiam ſi medicamento ſanguinis profluvium coercetur, non propterea tuta eſt, ac vera mortis evaſio: quandoquidem nonnullis magna cruſta, (Eſcharam græci vocant), decidens, venæ oſtiolum patentius efficit. Ubi vero grumi intus concreſcunt, intuſque remanent, inevitabilis morbus eſt.

Incipientibus igitur ſanguinis eruptionibus ſuccurrere oportet, plerumque autem cum futuræ ſunt, licet non admodum claris ſignis, tamen ſeſe indicant, anxietas enim adeſt, & animi ambiguitas: gravitas ea in parte eſt, quæ rumpitur, & facies rubet, ſi nondum ruptura facta eſt. Sin autem vena proxime reſciſſa eſt, plurimum venter mollitur omnino: ſi ſatis temporis præteriit, difficilius, atque tardius ſolvitur.

Hujuſce qualitatis ſunt inteſtinorum ulcera. Præcipue naſcuntur æſtatis tempore, ſecundo autumni, minus vere, minime hieme. Pueris quidem, & adoleſcentibus ventris profluvia contingunt: dyſenteria viris, & juvenibus. Senecta vero ægre medicabilis eſt, & ad ducendam cicatricem longum tempus requirit. At ulcera exedentia ſenibus inuſitata, ſanguinis vero profuſio ſenectæ eſt conveniens.

De Lævitate inteſtinorum. Cap. X.

SI a torminibus, & a latis, valdeque profundis ſuperiorum inteſtinorum ulceribus cicatrices crebræ, craſſæ, ſolidæque contrahantur; ſtercora ex his deorſum liquida, ab alibili indiſcreta prolabuntur. Inteſtinorum enim raritas,

Digitized by Google

per quam ſurſum verſus alimonia diſcurrit, a cicatrice intercluſa eſt. Homo igitur nutricationis inopia laborat, & pallor adeſt, & infirmitas. Affectus iſte qui ab cicatrice fit, Lienteriæ cognomen accepit, ab inteſtinis ſcilicet, quæ Græci Entera vocant, & nunc quidem a cicatricibus morbus exoritur. Alias vero inteſtina cicatricis expertia ſunt, ſed eonſuetudo, & exercitatio inteſtina profluvium pati edocent. In iſtis enim calidum quandoque refrigeratum eſt: ut neque concoctionem, neque digeſtionem moliatur: ſed præ imbecillitate retinere non poteſt, omnemque elaborationem alimentum ſubterfugit. Quod ſi ex tempore, & non ſtabilis, ſed levis momenti purgatio fiat; ſimplex a cibis vomitus morbum ſolvit. Sin autem aliquo tempore prorogetur, & in ſede firma iſtorum cauſa permaneat; nihil opis vomitus affert. Morbus quoque longus, & malus habitus, qui decumbere non cogit, lienteriam peperit. Aqua inter cutem nonnunquam in hanc ægritudinem feliciter commutata eſt, in malum ſcilicet ex malo, ſed melior eſt ſucceſſio.

De Uteri morbis. Cap. XI.

MULIERIBUS uterus ad purgationem, & partum bonus eſt, ſed morborum infinitorum, malorumque acervum congerit, neque enim ulceribus tantum; & inflammationi, & fluori obnoxius eſt; verum etiam ſi totus repente ſurſum verſus moveatur, celerem interitum effert. Alibi quidem ſcriptum eſt, quinam ipſius morbi pernicioſi acuti ſunt. Diuturni vero hi, fluor duplex, duritia, ulcera aliqua innoxia, ali-

Digitized by Google

qua maligna, exitus totius aut partis. Fluor ſane ruber, aut albus eſt; forma declarat. Ruber quidem, ſi ſanguis flavus emanet, & hujus ſpecies: vel lividus, vel niger, & tenuis, vel craſſus, & concretus, ut grumi. Albus, ut aqua, aut flavus cum pallido mixtus ut bilis, craſſus vero aut ſubtenuis, liquor, quem Græci Ichora vocant, & male olens, albus item, ut pus, ſed exquiſite albus, ut album ſerum, quin etiam gutta cruenta nonnunquam cum pure ſimul effluit: mille aliæ ſunt ſecundum rationem majoris, & minoris iſtorum ſpecies. Circuitus vero modo eſt menſtrua purgatio, ſed non ad priſtinum præſcriptum diem revertitur, non multus quidem ſanguis, ſed per multos dies effluit, paucorum autem dierum fit interpoſitio, ſed omnino pura. Alter eſt circuitus modus, ſed ad certum diem: neque plurimi ſanguinis eſt plerumque prima purgatio, bis autem ac ter purgantur per totum menſem. Tertia eſt quoque fluoris ſpecies: indeſinens quidem effluvium eſt, & ſingulis diebus modicum: ſed in totum menſem ſumma fit non admodum modica; neque enim uterus oſtium claudit, ſed hiat, ad effluxum humiditatis relaxationem patiens. Verum ſi neque intermittatur, neque parum effluat, ob ſanguinis effuſionem moriuntur.

Signa utique hæc ſunt; præter humiditatis effluentis colores, ipſius hominis color, pervigilant, cibos oderunt, anxietate vexantur, diſſolvuntur in rubro profluvio magis, & dolore torquentur, & in ambobus quod effluit, mali odoris eſt, ſed modo magis, modo minus. Album enim profluvium pejus olet, ſi quando major adeſt putredo. Alias autem rubrum, cum ſævius debacchatur eroſio. Brevibus ſane dictum

Digitized by Google

esto; ater fluor omnium pessimus est, deinde lividus. Pallidus, albus & purulentus, diuturniores quidem sunt, sed minus periculosi. Ex his ipsis pallidus deterior quidem est; sed longe melior est ille, qui cum usitato colore mixtus est: usitatus autem est ruber, ejusque species. Quin etiam & ipsis minus noxii sunt usitati: sed re vera senioribus infestiores sunt rubri fluxus, minime autem puellis, quibus magis albi nocent.

Item altera est albi fluoris species, menstrua purgatio, exalbida, acris, & pruriginem cum voluptate afferens. In istis vero humor albus, crassus, genituræ similis provocatur; hanc speciem Gonorrhæam, id est fluxum seminarium muliebrem appellavimus. Est autem vulvæ refrigeratio; quam ob rem humorum tenax esse non potest: quin etiam sanguinem in albidum colorem transmutat: vim enim ignis rubrificam non habet. Id genus vitii & stomachus patitur, ideo & pituitam evomit.

Simili affectu & intestina laborant, cum profluvio, Græce Diarrhœa vocato, ægrotant.

In utero præterea ulcera suboriuntur, aliqua lata, pruriginosa, tanquam sale insperſa: hæc sunt quædam superficiei excoriatio, pus habent crassum, inodorum, paucum. Ulcera hujusmodi mitia sunt. His caviora sunt ulcera, & deteriora, quibus dolores parvi accidunt, pus paulo plus, gravius olent: nihilominus tamen hæc quoque placida sunt. Quod si altius penetrent, & labia dura asperaque fuerint, & sanies quædam olida exeat, & quam in superioribus, dolor sit major, exedit vulvam ulcus, & nonnunquam caruncula quædam separata egreditur, neque ad cicatricem ulcus id ducitur, sed longissimo tempore hominem tollit: nam maxime diu-

Digitized by Google

turnum est, hujusmodi Græco vocabulo Phagedæna nuncupatur. Nempe mortifera ulcera sunt, si præter ipsa dolor exacerbatur, & mulier valde contristatur, & res putrida ab ulcere neque ipsis ægrotis tolerabilis emanat, efferaturque manuum attrectatione, & medicamentis, & quolibet genere medelæ exasperatur; venæ autem in utero turgent, & proximæ simul partes distenduntur, id vero perspicacibus medicis tactu deprehenditur: neque enim aliter liquet.

Cæterum ignis, & anxietas totius, & duritia simul, ut in feris ulceribus insunt, quæ & ipsa mortifera sunt, nec non cancri appellationem obtinent. At cancer neutiquam ulcus est, sed tumor durus, & indomitus, qui una totum uterum distendit: dolores quoque & reliqua omnia, quæ in ulcere insunt, cancrum comitantur. Hæc eadem vero cancrosa utraque sunt, & diuturna, & pernicioſa. Ulceratus autem cancer non ulcerato longe improbior est, & odore, & doloribus, & vita, & morte.

Nonnunquam integra vulva de sede sua egreditur, & mulieris feminibus insidet, incredibilis calamitas. Sed neque inspectabilis est uterus, neque ingenerabilis causa, relaxantur enim membranæ ilibus appensæ, quæ uteri sunt ligamenta nervosa: quæ in fundo sunt juxta lumbos gracilia, quæ in cervice hinc atque inde juxta ilia, maxime nervosa, lataque sunt: qualia navigiorum vela cernuntur. Omnes igitur hæ membranæ remittuntur, cum vulva foras procidit. Plerumque sane hujus exitus mortem affert, accidit enim ex abortu, & magis concussionibus, & violento partu. At si non interficit, diu hæ vitam producunt, non visibilia videntes, extra alentes uterum, atque foventes. Videtur autem non-

Digitized by Google

nunquam duplicitas uteri, interitus ſuccingens tunica quando a contigua divellitur. Geminæ namque membranæ tantum ſunt differentes a tunica, hæc vero abſcedit, & fluxione, & abortu, & violento partu, quando ipſa ſecundis inhæreſcit. Nam cum ipſæ vi extrahuntur, ſimul & uteri tunica extrahitur: verum niſi pereat mulier, revertens eadem tunica utero ad amuſſim connectitur, aut paulum extra prominet: contegit autem feminibus mulier.

Nonnunquam uteri oſculum ſolum ad cervicem uſque procidit, ſed rurſum intro ſe recipit, ſi uterus ſuffimenta mali odoris olfaciat, ipſum quoque mulier attrahit, ſi grata odoramenta naribus ſubjiciat. Quin etiam obſtetricis manibus paulatim intro recurrit, ſi placide, & ſenſim prematur, & prius remedia mitigatoria, quæ Græci Hyſterica vocant, id eſt uterina, ei adhibita fuerint.

De Arthritide, & Iſchiade, id eſt, Articulorum, & Coxendicis dolore. Cap. XII.

COMMUNIS omnium articulorum dolor eſt, Arthritis: ſed pedum dolorem Podagram vocamus, coxendicum Iſchiada, manuum vero Chiragram.

Nempe aut ex tempore dolor eſt, ſi ex aliqua parum durante cauſa conſurgat: aut latenter meditationibus longo tempore contractus eſt morbus, cum ab exigua occaſione dolor, & morbus accenduntur. Eſt autem omnium ſimul nervorum affectus, ſi autem malum omnibus ingruat. Initio vero nervi articulorum vincula, & quæ-

Digitized by Google

cunque ex ossibus exorta sunt, & in ossa inseruntur, dolere incipiunt. At istorum magnum est miraculum: non delent quidem vel minimum, etiam si quis secet, aut collidat: at si quis ab ipsis deleat, nihil aliud est eis ad dolorem citandum potentius: non ferramenta adstringentia, non vincula, non vulnerans gladius, non exurens ignis, nam & hæc assumuntur tanquam majorum dolorum remedia. Quod si quis ipsa dolentia ossa præciderit; sectionis dolor, ut exiguus a majore obscuratur. Sin autem iste prævaleat, eos voluptasque capit priorum malorum oblivionem afferens: id sane patiuntur dentes, & ossa.

Causam quidem veram soli Dii noverunt, probabilem vero, & apparentem etiam homines. Est autem (ut simpliciter dicam) hujusmodi. Quod prædensum est, contactum, vulnerationeque non sentit; idcirco, & ex tactu vulnerationeque non dolet. Dolor enim est res aspera sensui: densum autem non exasperabile, ideo quoque est indolens. At rarum bono sensu præditum est, & vulnere exasperatur. Cæterum quoniam, & densa ingenito calore vivunt, per hunc eundem calorem etiam sentire possunt. Siquidem efficiens causa substantialis sit, ut gladius, ut lapis, substantialis patientis corporis pars non dolet: natura enim densa est. Sed si caliditatis insitæ intemperatura corripiatur, sensus fit permutatio, cumque ipsorum ex se ipsa dolet caliditas, ab interna sensus pulsione excitatur; natura autem in majus excedente, vel ex abundentia dolores proveniunt.

At alias in alios articulos morbus articularis invadit, quibusdam in coxendices, (eaque parte plerumque claudus remanet), & in alia quædam membra nonnunquam exiguus, quandoque nec

Digitized by Google

in parvas particulas tranſit, pedes, & manus, nam ſi majora membra occupaverit morbum ipſum capere valentia, inſtrumenta illa non ſupergreditur. Sed ſi ab exiguo membro initium cœperit, mitis eſt, & inopinata evaſio. Iſchiadis quidem a femore poſterius, aut poplite, aut tibia initium eſt. Alias vero in coxæ cavo (Cotylam Græci vocant, Latini Acetabulum) dolor apparet, rurſus in clunem, aut lumbos impetum facit; & omnia potius eſſe videtur, quam coxendicis morbus. Verum etiam articuli ita fere dolere incipiunt, magnum pedis digitum dolor occupat, rurſum calcem in priori parte, qua nitimur; deinde in concavam ſubit. Malleolus autem poſtremus intumeſcit.

Doloris cauſam non legitimam afferunt, aliqui novæ crepidæ atritum, aliqui longam obambulationem, alii plagam, aut calcationem, nullus inteſtinam domeſticamque cauſam explicabit. Quin etiam ægrotis verum audientibus incredibile eſſe videtur, quam ob rem in inſanabilem affectum inciderunt; quoniam principiis, cum debiliſſimus morbus eſt, medicus non reſiſtit, qui ut temporis ſpatio vires acquiſivit, nihil medici diligentia proficitur.

Quibuſdam in pedum articulis uſque ad mortem reſidet morbus, quibuſdam in omnis corporis ambitum vagatur, plerumque a pedibus in manus proſilit, neque enim multum intereſt in pedibus ne, an fiat in manibus: cum utrique ejuſdem naturæ ſint, graciles, excarnes, externo frigori proximi, a calore interno remotiſſimi. Item cubiti flexura, & genu conveniunt, poſt hæc coxarum cavitates, quas Cotylas Græci vocant, & vocatus Periſtrophus. Tranſitus quoque in dorſi, thoraciſque muſculos fit: incredibileque

Digitized by Google

eſt, quam late malum ſerpat. Vertebræ dorſi, cervicisque dolent, & in ſummo ſacri oſſis dolor inhæreſcit, ſimulque omnium bos, aſinus, & proprius cujuſque dolor. Verum etiam tendines, & muſculi cum diſtentione dolorem patiuntur; nec non maxillarum, & temporum muſculi. Item communicatur renibus, & veſicæ. O rem admirabilem! Poſt omnia nares, & aures, & labia afficiuntur. Nam quoquo verſus nervi, & muſculi in capite feruntur, dolent capites ſuturæ, & quid doleat ægrotus ignorans indicat ſuturarum ſpecies obliquam, rectam, tranſverſam, poſterius, ac prius. Tenuem autem dolorem, & in oſſibus defixum conqueritur. Univerſam enim oſſium compagem morbus populatus haud ſecus, atque pedis, aut manus articulum.

In articulis quoque tophacea quædam coaleſcunt; ab initio quidem veluti abſceſſus occupant: poſtquam vero magis ſpiſſantur, etiam concreto humore difficiles fiunt inflexiones, demum tophi ſolidi alibi conſiſtunt. In toto autem membro tubercula exigua, quales ſunt Jonthi a Græcis appellati, Vari a Latinis, & majora exurgunt. Humiditas vero craſſa, abicans, grandinoſa eſt: nam, & totus morbus frigidus inſtar grandinis eſt.

Videtur autem caloris, aut frigoris differentiam præ ſe ferre, ſiquidem modo ex calore, modo ex frigore voluptas percipitur. At mihi placet unicam eſſe morbi cauſam inſitam frigiditatem, unicumque eſſe affectum, verum ſi protinus increſcat, & caliditas apparuerit, refrigeratione opus eſt, ac talibus delectatur: & hujuſmodi affectum calidum vocant. Quod ſi dolor in intimis nervis moretur; & articulus non calens collapſus ſit, neque extumeat, frigidum hunc eſſe dixe-

Digitized by Google

dixerim; in quo ad caloris revocationem medicamenta calida requiruntur: multis autem valde acribus opus eſt. Caliditas enim collapſas partes in tumorem excitat, & internum calorem ad ſuperficiem evocat, quo tempore frigida medicamina proficient. Huic rei fidem id facit, quod iiſdem eadem non conducunt, nam quod modo profuit, id alias noxium fuit, atque (ut compendio dicam,) calore in principio, frigiditate in fine opus eſt. Haud facile quidem continua podagra gignitur, ſed nonnunquam longo intervallo temporis intermittitur, tenuis enim eſt. Et in ludis olympicis podagricus morbo ſedato curſu victoriam adeptus eſt.

Viri facilius in hunc morbum incidunt, & ex mulieribus agiliores. Mulieres autem, licet rarius, quam viri, difficilius tamen hoc vitio laborant. Quod enim neque uſitatum, neque familiare eſt, id ſi aliqua urgente cauſa potentius evaſerit, violentum cum ſit, majorem calamitatem infert. Ætas autem huic morbo ſubjecta eſt a quinque annis, ſupra triginta, celerius quoque, aut tardius, prout cujuſque natura, aut victus ratio poſtulat.

Atroces ſane dolores ſunt, ſed dolores comitantia atrociora: defectus animæ, ad manuum contactum immobilitas, ciborum averſatio, ſitis, vigilia. Si diſcrimen evaſerint; tanquam ab inferis elapſi laxiorem vitam degunt, incontinentes, ſimplices, hilares, avari, in victu molles, ac delicati. Idcirco vero tanquam mortem rurſus ſubituri licentioſe præſenti vita fruuntur. Multis in hydropicum morbum podagra conceſſit, quibuſdam in depravatam ſpirationem, Aſthma Græci vocant, Latini Anhelitum. Hæc vero ſucceſſio immedicabilis, atque inevitabilis eſt.

Digitized by Google

De Elephantiaſi. Cap. XIII.

ELEPHANTI morbo, & feræ elephanti communia multa ſunt, & ſpecie, & colore, & magnitudine, & victu. Verum neque ulli alii ſimilia ſunt, neque affectus affectui, neque animal animali. Nam Elephas fera longe ab aliis differt, primum quidem ingentiſſima craſſiſſimaque eſt. Magnitudo enim tanta eſt, ut magnum animal ſuper aliud animal turris inſtar imponere queas. Craſſitudo quoque tanta, quantam plura craſſiſſima animalia inter ſe conjuncta vix æquare valeant. Cæterum neque ſpecie cuipiam admodum ſimilem invenias: ſiquidem omnes exquiſite nigro colore toto corpore obſcurantur. Nam equorum alius candidiſſimus eſt, quales Rheſi equi Thracii: alii albis pedibus, qualis Menelai Podargus: alii flavi, quales centum & quinquaginta: alii cærulei, ut illi Homeri: „ factus „ equo ſimilis concubuit cæruleos habens crines". Ita boves ſe habent, ita & canes, ita quælibet reptilia, & animalia, quæ ſuper terram depaſcuntur. Elephantes autem ſoli nigri, tenebricoſo colore, nocti, & morti ſimiles. Specie vero tali ſunt, capita quidem, & facies fædas habent, figura non evidenti ſuper brevi cervice, ut caput in humeris conſidere videatur: atque ideo non evidens eſt, aures enim grandes ſunt, latæ, alarum ſimiles, ad jugula uſque, & pectoris oſſa. Hæ cervicem armoſque tegunt, ſicut navigia velis conteguntur. Cornua vero mirandum in modum candida nigriori colori internitentia poſſidet Elephas, alii hæc dentes appellant. Hæc ſola autem candidiſſima ſunt, quale nihil in ullo alio

Digitized by Google

quamvis candido animali reperitur, & hæc ipſa non ſuper frontem, & tempora, qualis cornigeris natura eſt, ſed in ore ſuperiorique maxilla ſita ſunt, deorſum verſus ſpectantia, recta non admodum, ſed paulum in ſuperiora retorta, quo a recto detorqueri liceret, & in ſimis dentibus pondus extollere. Grandia utique cornua ſunt, longitudinem extenti brachii, Orgyam Græci vocant, æquant mediocria, alia his multo etiam duplo longiora ſunt. Prominentiam habet ſuperior maxilla a labro enaſcentem, longam, exoſſem, tortuoſam, ſerpentis ſimilem. Duo vero in ſumma prominentia foramina ſunt: & hæc in pulmones uſque pertinentia natura terebravit, duplicis tibiæ imaginem referentia. Hac ſane fiſtula tanquam nare ad reſpirationem, nec non & vice manuum id animal utitur: poculum etenim, cum velit, hoc proceſſu corripit, complectiturque, & valide retinet: neque ab eo quiſpiam vi eripere poſſit, niſi alius ſit potentior Elephas: herbam etiam ad pabulum hoc quærit: neque ore minoribuſque dentibus carnes edendo vitam ducit: prælongi enim pedes longe a terra diſtans animal ſuſtinent: quin etiam breve (ut diximus) collum eſt; ore igitur humi pabulari non poteſt. Nonnunquam, & cornuum ab ore proceſſus herbam os tangere prohibet. Itaque hac prominentia magnum pondus haurit: deinde quotcunque venatur, hac complexus ventri futura alimentum in os detrudit. Rite igitur primi illi Proboſcida hanc vocaverunt, nam, pro, id eſt, ante ſe animal, hac βοσκεται, id eſt, pabulatur. Verum enim vero neque ex palude aut flumine ore bibere ei licet. Eadem enim cauſa eſt, quod ſi ſitiat, proboſcidis extremum narem in aquam demergit: deinde tanquam reſpirans, vice aëris,

Digitized by Google

multum aquæ attrahit: ubi vero implevit, narem ceu poculum in os, fluminis instar effundit: deinde iterum attrahit, iterumque effundit, quoad ventrem tanquam onerariam navem compleverit. Corium habet asperum, crassissimumque, tumoribus inæquale, fissuras habens, ceu semitas prælongas, alias divisuras concavas transversas, alias vero obliquas valde profundas. Totum Tripodonio persimile est. Pili autem aliis quidem animalibus natura, aut setæ sunt, Elephanti vero sordida lanugo est. Infinitæ sunt & aliæ differentiæ inter elephantem, & cætera animalia. Etenim retro versus quandoque secundum genu flectitur quemadmodum & homo, & mammas prope axillas habet, ut mulieres.

Cæterum non in præsentia mihi opus est de animalis hujus natura tractare, nisi quatenus ex eo, & morbus Elephas vocatus patefiat; quotque ægrotantis forma hujus animalis naturæ similia obtineat, agnoscatur. Morbum quoque hunc Leonem vocaverunt, ob extremarum frontis rugarum similitudinem: quam partem Græci Episcenium nominant. De ea posterius suo loco dicetur. Satyriasis etiam appellatur ob malarum ruborem, atque inexplebilem impudentemque coeundi libidinem. Nec non & Herculeus dicitur, quoniam eo nullus major est, neque valentior.

Magnus est quidem potentia morbus, ad mortem enim inferendam est omnium longe efficacissimus, est etiam visu fœdus, & in omnibus terribilis, quemadmodum & elephas bellua. Inevitabilem quoque affert interitum: quandoquidem a mortis causa ducit originem. Ea ingeniti caloris frigiditas est non exigua, vel potius congelatio, ceu quædam fœva hiems: cum aquam in nivem, aut etiam grandinem, aut crystallum, aut gla-

Digitized by Google

ciem convertit. Hæc eſt communis mortis ac morbi cauſa. Verum tamen neque ulla inſignem conjecturam morbi principium obtinet: neque ulla nova, atque inuſitata labes hominem inceſſit: neque in corporis ſummis partibus repræſentatur, ut protinus videre quis poſſit, & incipienti malo reſiſtere, ſed in viſceribus tanquam domo Plutoni, deliteſcens ignis jam ſuccenditur, internorumque victor rurſum in ſuperficie aliquando exardeſcit.

Plerumque ſane a facie hæc peſtis incipiens tanquam ignis de ſpecula procul conſpicuus effulget. Nonnulli vero ab extrema cubiti curvatura, a genu, a manuum, pedumque articulis. Idcirco autem hujuſmodi hominum ſalus deſperata eſt: quoniam medicus ad morbi debiliſſima initia artem non adhibet negligens, & ægrotantium calamitatis ignarus. Tardi enim ſunt, ut ab aliqua levi, & vulgari cauſa, ſomniculoſi, quieti, ſicca alvo. Hæc etiam ſanis haud valde inuſitata ſunt. In morbi autem crementis reſpiratio, grave olet ob interni ſpiritus exhalationem. Hujuſce rei aër, aut quippiam aliud extrinſecum (*a*) cauſam præbere videtur. Lotium craſſum eſt, album, turbidum, quale jumentum reddit, venerem appetunt, crudorum, & inconcoctorum diſtributio fit: (*b*) neque iſtorum eſt ſenſus, & meditatio, neque enim concoxerint, nec ne, percipiunt, & cruditas hæc concoctioni ſimilis eſt: nam ipſi haud frequens eſt in optimum aut familiare concoctio. Digeſtio vero facile fit, tan-

(*a*) *Aliter intrinſecum.*
(*b*) *Aliter ſeminis crudi, & incocti emiſſio fit.*

Digitized by Google

quam in ſuum ipſius alimentum raptim morbo attrahente: propterea valde ſiccitate inferioris ventris laborant. Tumores alii juxta alios exſurgunt, nondum quidem continui, ſed craſſi, & aſperi: & interſtitium tumorum diſciſſum eſt, ut elephantis corium. Venæ latæ ſunt, non ſanguinis redundantia, ſed cutis craſſitudine. Non multo poſt autem & ſedes declarat univerſo corpore in æqualem tumorem diſtento. Pili in omni corpore præmoriuntur in manibus, femoribus, tibiis. Item in pube, in mento rari ſunt: rara quoque in capite cæſaries, quod vero majus eſt, intempeſtivi cani, & calvities affatim ſubitoque ingruunt; non multo poſt autem pubes, & mentum glabreſcunt. Quod ſi qui pauci pili remaneant; hi magis dedecent, quam qui defluxerunt. Capiti cutis altius reſciſſa eſt: rimæ autem frequentes, profundæ, aſperæ ſunt. Tumores in facie duri, acuti; nonnunquam faſtigio albido, baſi viridiore. Pulſus puſilli, graves, tardi, tanquam per cœnum vix ſe moventes. Venæ temporum diſtentæ ſunt, & ſub lingua ventres bilioſi. Lingua grandinoſis varis exaſperatur. Neque inopinabile eſt, & omne corpus talibus ſcatere tuberculis; quandoquidem, & in victimis pravos humores habentibus carnes grandinum plenæ ſunt.

Sin autem valde ab intimis partibus erumpet morbus, & in extremitatibus apparebit; impetigines ſummos digitos infeſtabunt, genua prurient, pruritusque cum voluptate ſcalpetur. Ambit vero impetigo, & mentum nonnunquam in orbem: rubent malæ cum tumore haud ita magno, oculi caliginoſi, æruginei coloris ſunt, ſupercilia prominentia, craſſa, glabra, deorſum verſus pondere vergentia: contractis glabellis

Digitized by Google

eminens tumor insurgit: color lividus, aut ater est. Episcenium vehementer contrahitur, ut oculos contegat, quemadmodum irascentibus, aut leonibus accidit: unde & Leonina hæc ægritudo vocatur. Igitur neque leoni, neque elephanto solum, verum etiam nocti tenebrosæ æquales sunt. Hypopia, id est, sub oculis insurgentia ossa, & nares cum atris tumoribus salebrosæ, exstantesque sunt, labiorum proiminentia crassa est, pars autem inferior livescit, (a) nasus tumet, dentes non albi sunt, sed nigricare videntur. Aures rubent admixta nigritia, obstructæ, elephanticæ, ut grandiores consueto esse videantur. Ulcera in basi aurium sunt: sanies defluit: pruriunt. Totum corpus rugis asperis exaratur: nec non & alte descendunt sciissuræ veluti nigri in corio fulci, propterea & Elephas huic morbo nomen est. Plantarum, & calcaneorum usque ad medios digitos fissuræ sunt. Quod si plus augescat malum; tumores malarum, menti, digitorum, genuumque ulcerosi fiunt, ulcera fœtida sunt, & insanabilia: alia enim super alia exsurgunt, super alia alia nitescunt, siquidem membra hominem diu morte præveniunt, quoad de corpore excidant nasus, digiti, pedes, genitalia, atque totæ manus.

Neque enim hæc labes prius perimit, a turpi vita, sæviscque cruciatibus liberans, quam membratim dilaceratus homo sit. At longæva est, quemadmodum & Elephas animal. Sin autem membrorum recens dolor sit, longe acerbius affligit. Aliter atque aliter paratorum ciborum appetentia est non obtusa, sed gustatus qualitatis

(a) *Aliter atque extat.*

Digitized by Google

expers eſt: nullaque edendi ac potandi delectatio: omnia vero ob doloris cruciatum oderunt: alimento privatur corpus: rabioſa ineſt cupiditas: ſpontaneæ ſunt laſſitudines; ſingulorum membrorum ſpecies hominem gravitate inuſitata premit, quantumlibet exigua membra ſint, quin etiam corpus omnia gravatim fert; non balneis delectatur, non illuvie, non cibo, non jejunio, non motu, non quiete: ab omnibus enim morbus alienus eſt: ſomnus tenuis, vigilia pejor mala ſua cogitans, ſpirandi vehemens difficultas: ſuffocationes fiunt, ac ſi laqueo ſtrangulentur. Hoc igitur pacto nonnulli vitam perdiderunt, inexcitabilem ſomnum in mortem dormientes.

Itaque tales cum ſint, quis non aufugiat? aut quis non averſetur, licet filius, aut pater, aut etiam germanus frater ſit? cum metus eſt, ne morbus communicetur. Propterea multi in ſolitudines, & montes ſibi chariſſimos abduxerunt; aliqui eorum egeſtati, quoad viverent, ſubvenientes, aliqui vero minime: cum eos vita defungi mallent. Fama eſt eorum quendam, qui in ſolitudinem expoſiti erant, ex terræ latebris reptantem viperam intuitum, aut fame coactum, aut morbi tædio inductum, ut malo malum commutaret, viventem viperam ediſſe, neque prius e vita migraſſe, quam omnia ipſius membra computruerint, atque exciderint. Alterum præterea ferunt, viperam in muſti dolium irrepſiſſe conſpicatum, cum muſtum ad ſatietatem ingurgitaſſet vomuiſſe, multumque veneni ſimul cum muſto rejeciſſe, quoniam in muſto fera extincta fuerat: iterumque hominem muſtum largiſſime epotum, vitæ pariter ac morbi finem quærentem, ut vero ſatiatus juxta inebriatuſque fuit, primum quidem humi proſtratus inſtar morientis ja-

Digitized by Google

cebat, posteaquam deinde gravi sopore experrectus est, ebrietatemque discussit, in primis comæ defluxerunt, præterea digiti, & ungues; deinceps omnia in ambitu corporis membra contabuerunt: quoniam vero adhuc in semine facultas erat, iterum tanquam ab ortu hominem natura veluti ex cera creavit, alios enim crines enutrivit, ungues novos, & nitidam carnem instauravit, ac vetus corium ceu serpentis senectam exsuit: & tanquam alter homo ad vitæ munia revocatus est. Ita habet fabula non admodum quidem vera, neque valde fidem excedens. Matum enim malo pulsum esse probabile est, naturam vero ex residua vitæ scintilla hominem redintegrasse, haud ita a ratione abhorret, ut monstro simile esse videatur.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS

DE

MORBORUM ACUTORUM CURATIONE.

LIBER PRIMUS.

JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO *INTERPRETE.*

Proœmium.

Curatio phreniticorum. . . . . Cap. I.
Curatio Lethargicorum, ſeu Veternoſorum. . . . . . Cap. II.
Curatio Tabis. . . . . . Cap. III.
Curatio Apoplexiæ. . . . . . Cap. IV.
Curatio Acceſſionis morbi comitialis. Cap. V.
Curatio Tetani, ſeu Rigoris. . . Cap. VI.
Curatio Anginæ. . . . . . Cap. VII.
Curatio vitiorum Columellæ. . . . Cap. VIII.
Curatio Peſtilentium in faucibus vitiorum. . . . . . Cap. IX.
Curatio Pleuritidis, id eſt, morbi coſtalis ſeu lateralis. . . Cap. X.

PROOEMIUM.

ACUTARUM ægritudinum medicamina ſpeciebus ſignorum contigua ſunt, quæ ſupe-

Digitized by Google

rioribus libris a me comprehenſa fuere. Quæcunque ſane in febrium curatione fiunt ſecundum ipſorum differentiam, & ſecundum morborum ſpeciem, & in ipſis diverſitatem; eorum plura in Tractatione de Febribus explicabuntur. Quotquot autem cum febribus acuti morbi fiunt, qualis Phrenitis eſt, aut ſine febribus, qualis Apoplexia, eorum duntaxat medicamina commemorabo: ut ne aberrem, neque verboſior ſim, alia in aliis deſcribens locis. Idem vero principium, quod, & de morbis feci, eundem etiam finem faciam.

Curatio Phreniticorum. Cap. I.

ÆGROTUM cubare convenit in conclave mediocris amplitudinis, aëris temperati, hieme tepidi, æſtate frigidioris: vere autem, & autumno ſecundum temporum naturas conjectura uti decet. Deinde quieſcere jubendum eſt, & ægrotos ipſos, & omnes domeſticos. Acute namque audiunt phrenitici, & ſtrepitibus irritantur, nec non & ab iis in furorem aguntur. Parietes leves ſint, æquales, neque ſupereminentes, neque feſtucas, aut aliquid exertum habentes, neque picturis exornentur: pictura enim parietum mentem turbat: nam præ oculis falſa quædam ſimulacra obverſantur, & quædam non eminentia tanquam eminentia manibus contractant, omniſque occaſio citra cauſam manuum agitationem provocat. Cubilis longitudo, & latitudo moderata ſit; quo neque in ampliori volutari, jactarique poſſit, neque a nimis anguſto delabi. Stragulæ veſtes glabræ ſint, ut ne floccos colli-

Digitized by Google

gere in mentem veniat. In molli lecto decumbant; nam durum ſtratum nervis ingratum eſt. Non minime autem inter cæteros ægrotantes phrenitici nervis laborant: facile enim convelluntur. Amiciſſimi eos inviſant; fabulæ, & ſermones animum ne vellicent: cum delectabilia omnia eſſe oporteat, illis præcipue, quorum iracunda inſania eſt. Uterum in tenebris, an in luce habendi ſint, ex morbi natura conjicere debemus: nam ſi ad lumen efferantur, & quæ non ſunt, cernunt, & quæ non adſunt, cogitant; aut pro aliis alia cognoſcunt, aut quaſdam novas, & vanas imagines accipiunt, atque in ſumma lucem, aut quæ in luce ſunt, extimeſcunt, obſcuro loco eos continere præſtat: ſin ſecus ſe habeant, lucido; bonum eſt autem ad lucem reſipiſcere, placarique inſaniam.

Ne diu a cibis abſtineant: cibi vero humidiores ſunto, paucioreſque, & continui: nam cibi animum demulcent. Occaſio autem exhibendi cibi eſto, in utriuſque remiſſionibus, febris videlicet, atque delirii. Quod ſi ab inedia furant, & non deſinat febris; cibos dare non valde febrim lædentes utile eſt. Nempe bonum eſt febrim deliriumque in acceſſionibus remiſſionibuſque concordare, quo exhibendi cibi opportunum tempus inveniatur.

In primis itaque conſiderandum eſt, ſanguis nec ne mittendus ſit. Si mentis quidem alienatio una cum febre a principio invaſerit: vena in cubiti curvatura primo aut ſecundo die, media potiſſimum ſecanda eſt. Quod ſi non niſi tertio, aut quarto die delirium accedat; uſque ad primum decretorium dierum circuitum venæ ſectio differenda eſt. At ſi ultra conveniens tempus, ut puta ſexto aut ſeptimo die ſuperveniat, venæ

Digitized by Google

ſectio dimittenda eſt: multo enim ante judicationes in acutis morbis evacuandum eſt, aut purgandum, aut aliis irritationibus utendum. Venæ quoque inciſor ne multum ſanguinis detrahat, licet a principio ſecet: phrenitis namque malum eſt in ſyncopam facile mutabile. Sin autem ægrotus valde repletus ſit, & juvenis plurimo cibo, & largiſſimo vini potu ſaginatus; hæ ad phrenitidem rationes non pertinent: verum iſtis, & citra delirium multum ſanguinis hauriendum eſt: longe autem minus auferendum, ſi iidem phrenitici ſint.

Verum tamen audacius vena ſolvenda eſt, ſi a præcordiis non a capite morbus oriatur: ibi enim vitæ principium eſt: caput vero ſenſus, nervorumque originis locus eſt, ſanguinemque potius a corde trahit, quam aliis diſtribuat. Igitur ſi membrum hoc affectum ſit, venam cubiti ſcindere non convenit; quippe in illis vitiis inanire vaſa oportet, a quibus non modica noxa provenit. Quod ſi vires patiantur, ut quantum ſanguinis ſatis eſt, evacuetur, ſemel auferendum eſt; ne, dum repetendo tempus conteritur, exhibendi cibi occaſio elabatur; quando quidem phreniticis continuæ febres ſunt, neque remiſſiones longas habent, ſed breves, & latentes ſublevationes. Cæterum ſi ante mediocritatem defecerit æger, ad ſecundam remiſſionem differendum eſt, niſi longo tempore poſt ventura ſit. Quod ſi non ſit, vires inſtaurando odoramentis, faciei tractatione, & pedum compreſſione, protinus ſanguis detrahendus eſt: quantum vero mittendum ſit, facultas oſtendet.

Eſca humida omnibus quidem febricitantibus idonea eſt, ſed phreniticis maxime: aridiores enim ſunt, quam ſi ſola adeſſet febris; neque mul-

Digitized by Google

ſa danda, niſi bilioſi ſint: nam facile a bilioſis naturis concoquitur. Far lotum cum aqua, aut mulſa convenit. Bonum quoque eſt ex his ſorbitiones ſimplices præbere, quales ſatureja, aut apio, aut anetho incoctis fieri ſolent, hæ namque bonam ſpirationem conciliant, & urinam cient: conducit autem phreniticis lotii excretio. Omnia olera proſunt: ſed malvæ potiſſimum lentor bonus eſt, & ad linguæ arteriæque levorem, & ad ſtercorum deſcenſum: optima eſt beta, blitum, coronopus, cucurbita, quicquid ſuis temporibus optimum fuerit. Hordei vero mundati cremor liquidiſſimus quidem in primis nutribilior eſt; ſed tanto etiam ſpiſſior craſſiorque ſit, quanto plus temporis morbus progreſſus fuerit. Verum in judicationibus, & paulo ante judicationes cibus ſubtrahendus eſt. Si morbus longiori tempore producatur, cibos ne ſubtrahito, ſed triticea exhibeto, quo ſufficiat ægrotus: quando extremorum, & volatilium carnibus in cremore liquefactis plerumque opus eſt, oportet enim hæc in elixando valde diſſolvi. Ex piſcibus ſaxatiles aliis præſtantiores ſunt: atque omnino regionis illius optimos deligito, quippe aliam regionem alias piſcium ſpecies procreare creditum eſt. Vinoſæ naturæ fructus ſubtrahito, quoniam caput, & mentem percutiunt. Verum ſi neceſſitas urgeat, viribus aut ore ventriculi labantibus; mala in mulſa elixa, aut in adipe toſta exhibeto: aliorum ſingula calida aqua diſſolvito, ſi roborandi duntaxat oris ventriculi cauſa exhibeas: ſin autem vires quoque inſtaurare opus ſit, non uſque adeo vinoſa facultas diſſolvenda eſt. Cibi quidem (ut ſemel dicam) hujuſmodi ſunto.

Irrigandum vero caput eſt refrigerandi cauſa oliva acerba contrita unguine: nam caput in

phreniticis calefieri non amat. Quod si vigiliæ, & cogitationes ægrotum agitent, rosacei parem modum in principio misceto: adhuc vero plus rosacei addendum, quo magis extra intraque caput roboretur ac refrigeretur. At si mens labefactetur, & loquutio evariet, serpylli comam oleis incoquito; aut hederæ succum, aut sanguinalis, affundito. Si mentis vero alienatio vehementius hominem turbet, peucedanum, & spondylium oleis inferveſacito, & aceti parum instillato: hæc enim halitus, & caliditatem diffiant, craſſasque humiditates, quæ & ipsæ deliramenti causæ sunt, discutiunt: cavere autem convenit, ne in cervicem ac tendones madefactio descendat; tendonibus enim atque nervis inimica est. Nempe irrigandi semper occasio est, præterquam exacerbationis initio, rarius quidem in incremento, omnium vero frequentissime vigente morbo: cum maxime insaniunt, tum maxime irrigandum est humore frigido: atque æstivo tempore multo magis refrigerato, hieme vero tepido.

Ut mitescat autem delirium, posca, aut conyzæ decocto cum spongia facies fovenda est. Deinde œnanthino, aut crocino unguine linenda; quin etiam nares, & aures iisdem imbuendæ. Hæc enim somnum alliciunt. Si quando isti, insomnes pernoctant, neque interdiu sopiuntur, sed penitus intenti sunt oculi atque instar cornu rigentes, jactantur autem, & e lecto prosiliunt; iis somnus, & quies conciliandi sunt: primum quidem caput rosaceo mero irrigando, aut amaracino cum succo hederæ, aut serpylli, aut etiam sertulæ decocto. Magis autem soporiferum est papaver in oleo elixum capitis sincipiti superdatum, aut in aqua faciei per spongiam impositum; ipsæ quoque integræ herbæ (si proxime lectæ fuerint),

virides cervicalibus ſubjiciendæ ſunt, craſſant enim, madefaciuntque ſpiritum aridum tenuemque, & caliginem quandam ſenſibus obducunt: gravis autem, & torpens eſt caligo: id vero eſt ſomni principium.

At ſi valentioribus auxiliis egebunt, & ipſa papaveris lachryma ex aqua frons inungenda, quin etiam nares ea linendæ, & in aures infundenda eſt. Contractatio pedum ſuavis ex oleo, capitiſque adtactus efficax eſt, ſed potiſſimum ſi tempora, aureſque ſcalpantur: nam & ferarum iram furoremque, aurium & temporum mollis adtrectatio coercet. Cuique vero uſitata ſomnum accerſunt. Nautis in cymba decubitus, & maritima navigatio, & littorum ſonus, & undarum murmur, ventorumque bombus, & maris naviſque redolentia. Muſico tibiarum exercitatio quietem affert, aut lyræ cantus aut cytharæ, aut meditatio puerorum canentium. Ludi autem magiſtro puerilium fabellarum enarratio. Atque ita aliis alia animum demulcentia ſomnum inſinuant.

Cæterum præcordiis ac ventri madefactiones, & cataplaſmata adhibeto, phlegmone ſubſit, atque durities, flatuſque diſtendat: oleum quoque ex oliva bene matura, nequaquam acerba injicito: id enim craſſum eſt, & viſcidum, & calefaciens. Hæc utique in inflammatione facienda ſunt. Injiciatur vero in ipſa anethum, aut conyza: bonum quoque eſt ſi ſimul omnia. Quod ſi adſit etiam inflatio, cumini, & apii ſemina adjicito, & quæcunque lotium flatuſque prolectant: nec non & nitrum cribratum inſpergito.

Verum ſi in jecore vitium dolorque fuerit; lonas ab ove ſordidas accipito, oleum vero acerbum, aut roſaceum, & ſapam Græcam, aut Creticam admiſceto, ſertulamque incoquito, atque omni-

Digitized by Google

omnibus in unum ſuccum permixtis jecur irrigato. Ad lienem vero oleum cum aceto bene facit: aut ſi magis, quam prius turbet, poſca, & pro lanis ſpongia mollis adhibeatur, nam mirum in modum his gaudet miteſcitque lienis ægritudo. Porro ſi præcordia interius ſint, ſurſumque trahantur, & circumtenta cutis ſit, optimum hoc remedium erit loco unguinis, aut una cum ipſo craſſo tantundem opportunum eſt, cunila vero, & ros marinus incoquantur; anethum quoque non injucundum erit. Quod ſi cataplaſmati tempus erit idoneum, oleis quidem iiſdem in iiſdem affectibus utendum eſt. Materia ſit autem lini ſemen, fœnum græcum, hordei tenuis farina. Bonum eſt autem, & faba, & ervum, ſi venter intumeſcat: pariter & milium torrefactum in ſacculo poſitum leve mo lleque fomentum eſt: piſtum vero, & aqua inter cutem laborantibus cum melle, & oleo, & lini ſemine cataplaſma bonum eſt. Flores autem, & herbæ, & ſemina quæcunque a me in irrigationibus poſita ſunt, & in cataplaſmatibus eadem ſunto. Mel vero & cum ipſis bonum eſt, ut arida cogantur, miſceanturque ſqualentia, atque ut calor diutius permaneat: ipſum quoque ſolum bonum eſt pro cataplaſmate ſemicoctum, & ad irrigandum, ſi cum aliquo humore liquetur: mollit enim, calefacit, flatus lotiumque evocat, & ardores obtundit. Nam hæc quoque mulſa epota præſtat: hiſque plura, & meliora, ſi interius arteriam, pulmones, pectus, & ventrem ſubeat.

Aſſidue vero alvus irritanda eſt glandulis, aut illitionibus (ſæpius enim ſicceſcit), ut a capite materiæ detrahantur, & a pectore halitus difflentur, & alvi purgamenta excernantur. Quod ſi multis

Digitized by Google

diebus venter ſuppreſſus fuit; ipſum mulſa, oleo & nitro ſubluere opus eſt.

Verum ſi non ſatis phlegmones exhalationes deſierunt, cucurbitulam affigens incidito, qua parte phlegmone extumuit, & major apparet: unam autem, aut duas affigito, prout phlegmone ſignificaverit, & vires præceperint: & ſanguinis detrahendi copiam ab his conjectare oportet. Exceſſus enim ſyncopæ author eſt.

Primo quidem aut altero die madefactio eadem eſto. Tertio vero ceratum cum aliquo ex oleis ad irrigandum aptis imponito. Deinde epithemata in inflammatione ſi facultas ſit, ex hyſſopo, fœno græco ex mulſa decocto, terebinthi arboris reſina, & cera: olea vero in iiſdem eadem.

Quod ſi nihil iſtis delirium remittat; tondere caput neceſſe eſt: ſi longiſſimi crines ſint, primum dimidii: ſi breviores, ad cutim. Poſtea prius refectis viribus cucurbitula vertici capitis affigenda eſt, ſanguiſque hauriendus: verum prius inanis cucurbitula inter ſcapulas adhibeatur.

Cæterum quoniam thoracem in omnibus acutis morbis medicari oportet: nam prorſus ipſe cum corde, & pulmone laborat, primum quidem ob ſpiritus modo calidi, modo frigidi neceſſitatem, præterea ab ardenti febre, & tuſſi, & humorum pravitate, & nervorum communione, & oris ventriculi noxa, nec non ſuccingentis membranæ, & ſepti tranſverſi vitio: (cor enim ſi majori aliquo malo oppreſſum ſit, nunquam ſaneſcit:) in Phreniticis utique, & hæc inprimis mitiganda ſunt: ſiquidem nonnullis mentis alienatio ab aliquo eorum, quæ in pectore ſunt, vitio exoritur: ea vero ſunt, ſpiritus calidus, & ſiccus, ſitis acris, ignis intolerabilis qui undique in thoracem confluit, & pravitas quidem a do-

Digitized by Google

meſtico calore commutato, & major, & moleſtior provenit. Ab aliis etiam membris in thoracem contributio fit. Extrema namque frigida ſunt, caput, pedes, ac manus: ſuper hæc autem thorax eſt, igitur humectandi refrigerandique auxilio eget.

Humectatio quidem fit ex oleo, in quo chamæmelum, aut nardus incocta ſit. Æſtate vero, & ſapa græca benefaciet. At ſi epithematibus uti deceat, palmulæ vino auſtero maceratæ, deinde contuſæ in placentam cum nardo, polenta, atque œnanthe ſuave pectori cataplaſma fuerint. Refrigerant quoque mala piſta cum maſtiche, & ſertula: quæ omnia cera, & nardo excipiantur.

Sin autem & os ventriculi torpeat, & a cibis abhorreat, ſuccum abſinthii, aut comam una cum his terito, ipſo etiam in oleo incocto præcordia irrigato; & aquam, in qua maduit, aut ipſius ſuccum ante cibum propinato, duos ſcilicet aquæ illius cyathos, aut ſucci ad amaræ fabæ magnitudinem ex aquæ cyathis duobus.

At ſi os ventriculi ardor male habet, non ratione morbi, ſed ipſum duntaxat ab acribus ſalſiſque humiditatibus, ſive a bile mordetur, atque ſiti perareſcit; lac aquæ admixtum in cibis exhibendum heminæ videlicet dimidium uno aquæ cyatho temperatum: atque ita hujuſce lactis plurimum ſorbeat: nonnihil etiam cum pane aſſumat.

Verum tamen ſi ardor hominem torqueat, & ſitis, & anxietas, & furens inſania, & frigidæ cupiditas, propinanda quidem frigida eſt, ſed non tanta, quanta in ardore morbi abſque phrenitide propinatur. In iſtis enim timendum nervis eſt: itaque danda eſt, ut ori ventriculi ſubveniatur; pauca vero ſatis eſt, parum enim potant phrenitici.

Digitized by Google

Cæterum ſi in Syncopam prolabantur, nam & hoc incidere ſolet, viribus evaneſcentibus, in ſudorem liqueſcente homine, omnibus humoribus extrorſum impetum facientibus, tenore ac ſpiritu fatiſcentibus, tunc cura delirii poſthabetur; ſed cum metus ſit, ne in vaporem, humiditatemque homo diſſolvatur, unicum ſubſidium vinum eſt; celeriter enim ſubſtantiam alendo inſtaurat, & quoquo verſus ad extremitates uſque permeat: tenori tenorem apponit, & ſpiritum torpentem expergefacit, frigiditatem calore temperat, laxantem madorem adſtringit, extrorſum erumpentia atque diſſluentia coercet, olfactu ſuave delectat, vires demum fulcire ad vitam prorogandam poteſt, atque in inſania ad animum demulcendum optimum eſt. Hæc omnia epotum vinum ſimul præſtat; iracundia namque molleſcente animo conquieſcit: atque ipſimet ad recreandas vires cibos accipiunt, quin etiam ſe ipſos ad voluptatem replent. Jam autem ſi plus temporis morbus extrahitur, & febris ignava eſt, & delirium in fatuitatem vertitur, & præcordia non uſque adeo læſa ſunt, aut tumore, aut inflatione, aut duritia, ſed in capite potiſſima morbi cauſa eſt, audacter lavare oportet, atque ſæpius caput perfundere, habitus namque ſanabitur, & caput diſſlabitur: & omne corpus exhalabit. Atque ita ſiccitas obtunditur: & ſenſus caligo diſcutitur: & mens ſtabilis, atque inconcuſſa firmatur. Hæc utique ſunt tollendi morbi præcepta.

Digitized by Google

Curatio Veternoſorum. Cap. II.

VETERNOSI in luce, & ad ſolis radios collocentur: morbus enim nihil aliud eſt, quam tenebræ, & magis in loco calido habeantur; ipſius enim cauſa eſt inſita frigiditas: cubile agitabile ſit; ſtragulæ veſtes, parietum picturæ, omnia ſint varia, quæcumque viſum proritare queunt: multus habeatur ſermo: pedes premendo tractentur, vellantur pili: membra ſcalpantur. Si altus ſopor obtineat, vociferandum eſt: iracunde increpandus eſt æger: his, quæ timere conſuevit, deterrendus; quæcunque prius optabat expectabatque, annuncianda ſunt: omnia ad ſoporem diſcutiendum contra, atque in phreniticis, molienda.

Quod ad Veternoſorum evacuationem attinet; hæc noviſſe oportet, ſi alteri morbo, utpote phrenitidi ſuccedat veternus, venam ne ſolvito, neque aliunde multum ſanguinem educito: ſed ventrem ſubluito non ſolum ſtercoris educendi cauſa, ſed etiam ut aliquid a ſuperioribus partibus revellatur, & a capite derivetur: igitur multum inſit ſalis, & nitri. Optimum vero fit, ſi ſublutioni caſtoreum inſpergas: imum enim inteſtinorum veternoſis frigidum eſt, & ad excretionem emortuum. Quod ſi non per ſucceſſionem, ſed ſuopte ingenio veternus incipiat, & æger plenus eſſe videatur, ſi ſanguinis vena in cubiti curvatura ſecanda eſt: ſi pituitæ aquoſæ, aut aliorum ſuccorum, purgare opus eſt, cnico ex hordei cremore, aut nigro veratro ex mulſa inter initia, ſi mediocriter purgare velis. Sin autem copioſius

Digitized by Google

medicamenti, quod Hieram id eſt Sacram vocant, pondo drachmas duas jejuno dato cum mulſæ cyathis tribus: atque tantiſper expectans: quoad purgatio confecta ſit; tunc cibos, ſi opportunum ſit, exhibeto: ſin minus, in poſterum diem alimentum differto. Nonnunquam ſane, & veſperi hieræ drachma cum aquæ, aut mulſæ cyathis duobus diſſoluta in tempore datur. Nempe inedia malum eſt, malum eſt & cibi multitudo. Igitur exiguo cibo uti ſingulis diebus oportet: neque ſubito ac penitus jejunandum eſt, os enim ventriculi per totum diem refectione caloreque indiget. Quin etiam cibus eſto attenuans, & alvum leniens in juſculis magis quam leguminibus, gallina, cenchride, herba vero mercuriali aſſidue utitor; acetumque affundito, & ſuccis injicito, ſi forte ſucco ptiſanæ utendum ſit. Bonum autem ſpiritum reddit urinamque citat fœniculum, apium olera, aut horum ſemina. Item porrum acrimonia ſua proficit, & braſſica cum oleo, & garo, optime facit, & cuminum dulce cum braſſica ad flatus digerendos, & lotium evocandum. Veſica enim atque venter in quolibet morbo irritant atque infeſtant. Irrigationes capitis tales fiant, quales & in phreniticis. Utriſque enim ſenſus pleni halituum ſunt: quos refrigerando, adſtringendoque roſæ atque hederæ ſucco propulſare neceſſe eſt, aut dirigere per tranſpirationem extenuantibus, exempli cauſa ſerpyllo, aut aceto roſaceo.

Si nervi doleant, & totum corpus, ſed multo magis extrema frigeſcant, caput cervicemque caſtorio cum anethino oleo inungito, atque irrigato quin etiam ſpinam eodem, ſicyonio, aut gleucino, aut veteri oleo admixto perfundito:

Digitized by Google

nec non, & manus ad humeros uſque, & pedes uſque ad inguina perungendi ſunt.

Nonnullis quoque veſica eſt humectanda: quæ tanquam nervus patitur, & tanquam urinæ iter laborat: inſuper humorum acredine vexatur: bilioſum enim lotium eſt.

Sin autem major tremor adſit, & convulſionem minetur; neceſſario & ſicyonium oleum capiti ſuperfundendum: ſed brevis ejus uſus eſto.

Quod ſi præcordia inflammata ſint, cutis vero tumida, inflata, diſtentaque, aut introrſum vergentibus præcordiis concava efficiatur; madefactiones, & cataplaſmata ejuſmodi ſint, cujuſmodi in capite de phreneticis comprehendimus.

Cucurbitula minime utitor, ſi a phrenitide in hanc labem incidit: audacius vero cucurbitula uti poteris, ſi ab initio morbus iſte invaſerit. Sin autem atra lingua ſit, & tumor in præcordiis appareat, cucurbitulam affigere neceſſe eſt; poſtquam vero intervallo temporis ſenſus purgati fuerint, & alia facilius fereat, capitis vertici applicare, quandoquidem ea parte evacuare ſine ulla virium moleſtia poſſumus.

Et flatus ſupra infraque eliciendi ſunt. Veternus enim flatus colligit, & in ventriculis, & in toto corpore ignavia, marcor, animæque defectus conſpicitur. Motus autem ac vigilia diſcutiendi facultatem habent. Rutam igitur viridem cum melle, & nitro contritam illinito: ſic enim magis flatus digerit: cum his vero, & terebinthinæ reſinæ pars una miſceatur. Fotus quoque flatus provocat aut cum ſordidis calentibuſque lanis, aut cum aſperis panniculis veteribus atque attritis: aut cum ſpongia ex aqua, ubi hyſſopum, aut origanum, aut pulegium aut ryte incocta ſit. Evocant autem flatus, & quæcunque ante cibos

Digitized by Google

propinantur: quæ utique pituitam bilemque ab inteſtinis, & ſtomacho educunt. Hyſſopus in mulſa elixum, dictamnus Creticus, origanum acria quidem ſunt, ſed eductoria. Adiantum, gramenque flatus, & lotia erumpere faciunt.

Si manus, & caput contremiſcant, caſtoreum dimidiæ drachmæ pondere ex mulſæ cyathis tribus ad plures dies bidendum eſt: ſi bibi vero non poſſit, ad demoliendam calamitatem cum olei cyathis tribus, in quo ruta incocta ſit, duplum in imum inteſtinum infundatur: idque per plures dies faciendum. Ultra vero utilitatem, quæ ex hoc provenit (nam ſupra infraque flatus expellit, & nonnullis urinam, ſtercuſque detrudit:) ſi forte in omne corpus dilabens penetrat, firmi atque robuſti nervi efficiuntur, & habitus ad calidum ſiccumque permutat: morborumque conſtitutiones convertit. Optime etiam proficit, ſi in nares inſpiretur; nam & ea ex parte ſpiritus ſternutamentis educit. Et quemadmodum per veſicam urinam expellit, ita per nares mucum. Hos autem effectus hoc loco ſuavi caliditate præſtat, & melius quam alia ſternutatoria, ſcilicet quam piper, veratrum, radicula, euphorbium. Nam hæc ad primum atque ultimum attactum immitia ſunt, & caput ſenſumque perturbant. Caſtoreum vero paulatim adhibitum calefacit, cum & alioqui capiti conducat, quandoquidem nervi undique ex capite oriuntur; morbis autem nervorum caſtoreum medetur. Cæterum ipſum cum aliquo aut aliquibus ex ſupra comprehenſis admiſcere non ingratum fuerit, nam ſi admixtum ſit, non protinus quidem caput mediocriter conturbaverit, diutius vero caliditatem accenderit.

Nares proritatione humidæ reddantur, odoramenta applicentur acria quidem ad ſenſum, ſed

Digitized by Google

facultate calida, quale ipsum castoreum est, aut thymbra, aut pulegium, aut thymum, viridia aut arida aceto perfusa. Acribus pharmacis pedes genuaque illinantur. Materia esto calefaciens, & ex adjectione mordens: nam utroque veterno si opus est, calorem excitandum atque vigiliam. Primum igitur urtica crura verberato, tenuissimæ namque urticæ partes adhærentes non diu perseverant, sed pruritum, & dolorem non gravem inferunt; mediocriter vero stimulant, & tumefaciunt, & calorem excitant. Quod si hæc vehementiora fieri volueris; limnestidis, atque euphorbii pares portiones cum unguine gleucino illinito. Optimum quoque est scillæ crudæ laminis perfricare, sed a membris omne oleosum detergere oportet: quodlibet enim acre minime mordax est, ad mixtum cun unguine, nisi id medicamentosum sit, quale est cyprium, au gleucinum, aut sicyonium.

Si præter hæc altus adhuc sopor occupet; proderit sylvaticum cucumerem ex aceto tritum, & æquæ sinapis portioni admixtum imponere, acre vero est id cataplasma, celeriterque ruborem concitat: celeriter quoque calefacere potest: verum ne pustulas vulneraque efficiendo periculum inferat, frequenter detrahendum est cataplasma, atque numquid horum acciderit, inspiciendum. Hæc utique ad ipsius torporem, ac veluti demortui languorem discutiendum quolibet morbi tempore præter exacerbationum invasiones, molienda sunt. Quod si jam sensum recuperet, pondus tamen aliquod in capite insit, & sonus aut bombus obstrepat, etiam per os pituita elicienda est. Mastichen in primis mandendam exhibe, ut continenter exspuat: postea rursum uvam taminiam, granum gnidium, sed omnium maxime sinapi,

Digitized by Google

& quoniam uſitatum eſt, & quoniam inter alia magis pituitam educit: ac ſi quis ſponte ipſum devoraverit, quæ in ventriculo ſunt, disjicere poteſt: etiam alvum madefacere, & flatus excernere. Etenim aliquando caſu hæc mihi evenerunt, cum homo quidam ne conſentiente ipſum devoraſſet. Bonus autem magiſter eſt experientia, opus eſt vero, & ipſum periculum facere: imperitia namque timoris, & cautionis cauſa eſt. Caput quoque poſtquam ad cutim detonſum fuit, niſi magnopere proficiat, ut tranſpiret, radendum eſt: quin etiam ad uſum acrium medicaminum, ut ejus, quo ex limneſtide conſtat, aut hydar, aut thapſia, aut ſinapi, humidum ex aqua cum dupla panis portione in linteolo veteri illitum capiti ſuperdandum eſt: cumque horæ ſpatio ibi permiſſum fuerit, ſpongiis calidis fovere opportunum fuerit. Item ex uſu erit, & lavatio omnibus, jam, aut ſaltem plurimis, & præcipuis ad morbi depulſionem adhibitis, adhuc tamen corpore torpente, ubi, & geſtatio proderit, & fricti0, quælibet lenis corporis agitatio.

De Curatione Tabis. Cap. III.

ISTos ſane ſi & tabes male habet, ocyus ſuccurrendum eſt, ad balneum deducendo, & corpus dimovendo. Tabis quoque lac medela eſt, & nutricatio, & ventris calefactio, & veſicæ lenitio. Quin etiam eadem huic vitio, quæ & catocho, expediunt: ſimilis enim atque eadem eſt horum morborum ſpecies. Caſtoreum utique iſtis opportunius eſt atque lenius, & potui datum, & illitum, & in inteſtinum infuſum. Mulieribus autem qualia his ſimilia ab utero vitia oriantur,

Digitized by Google

in libro de muliebribus morbis a nobis disputabitur.

De Curatione Apoplexiæ. Cap. IV.

APoplexia validus plane morbus est, nam in omnibus exanimes sunt, quorum & corpus, & mens stupet. Si ægrotus senex sit (quibus familiare id vitium est) non liberatur, & morbi magnitudine, & ætatis miseria oppressus. Quibus autem notis morbi magnitudo conjectanda sit, antea a nobis positum est. Si juvenis æger sit, debilis est apoplexia, non tamen facile removetur. Tentanda igitur curatio est.

Æquale sane adjutorium utpote magno affectui magnum remedium missio sanguinis est; nisi quis plusquam conveniat, mittendo delinquat, modum autem conjectare difficile est; nam si paulo plus detraxeris, hominem plane strangulasti, ad vitam enim tuendam his vel paucus sanguis efficacissimus est, cum sit vitæ corporisque alimenti fomes; si minus detraxeris, quam causa postulat, nihil magni per magnum auxilium contuleris: adhuc enim causa permanet. Sed præstat minus detrahendo, delinquere: nam si minus detractum esse visum sit, aliqui vero optimi successus apparuerint, iterum venam rescindere congruens fuerit: scindenda est autem vena in concavo cubiti, hæc enim in sinistro fluida est. Simul quoque in pusilla apoplexia, & resolutæ partes considerandæ sunt, in sinistro ne, an in dextro latere resolutio sit: a salubribus enim partibus (ut dicere mos est) sanguinem haurire oportet, hac enim sanguis facile delabitur: hac etiam a læsis partibus materia derivatur. Igitur si absque evidenti cau-

Digitized by Google

ſa attoniti reddantur; ſic de ſecanda vena ratiocinandum eſt.

At ſi ab actu, aut delapſu, aut compreſſione in hanc labem inciderint, in aliud tempus res differenda eſt; nonnullis vero ad medelam atque vitam id ſolum ſatisfuit.

Cæterum ſi frigiditate multa, & torpore, & ſenſuum abolitione hominem occupante vena minime ſcindenda videatur, ſubluenda alvus eſt, quo multitudo humorum ab inteſtinis extrahatur (plerumque enim ex voracitate, & crapula in morbum talem prolabuntur, (utque humores caput occupantes revellantur. Sublutio plane acris eſto, pituitam, bilemque ſubducens. Igitur nitrum ſolum ne habeto, ſed etiam euphorbium trium obolorum pondere, (qui eluendæ alvo modus uſitatus eſt), & cucurbitæ agreſtis interanea, aut centaurii comæ decoctum ex oleo, aut aqua. Optima quoque ſublutio fuerit, mellis conſuetæ portioni ruta adjuncta, & cum unguine elixa, & terebinthi arboris reſina, & ſal pro nitro, & hyſſopi decoctum. Quod ſi per hæc ſubſidia paulum excitatus homo fuerit, aut febre correptus, aut ſenſum ab illo marcore ſuſcipiens, aut arteriæ bono pulſu reſtituto, aut facie utcunque meliora ſignificante, ſpes ſalutis concipienda eſt, audaciuſque ſubveniendum.

Interim igitur roboratis viribus, purgatorii medicaminis, quod Sacrum vocant, jejunio maxime quidem integra potio danda eſt: ſi vires prohibeant, dimidium cum mulſa, & æger in lectica ſupinus collocatus agitandus eſt, ſenſim eum, qui ferunt, geſtantibus; frequenter vero, quo laſſitudo arceatur, interquieſcat: ac ſi alvus liquida ſit, libens admittito: ſin ſecus, aquæ, aut mulſæ, cyathos duos potui dato. Sin autem & dum

Digitized by Google

purgatur, nauſeabundus ſit, id ne prohibeto, nam & illa diſtentio ad expergefaciendum vigorem quendam præſtat, & pituitæ vomitus morbi cauſam evellit: ſenſum vero, & caput, & nervos repurgat ſacrum quod vocatur medicamen.

De qualibet itaque ab initio adminiſtranda purgatione ſatis diſſeruimus. Totum vero hominem lanis involutum oleo ſicyonio perfundere oporſit, aut gleucino veteri, aut ſingulis ſeorſum, aut ſimul mixtis. Sed optimum fuerit ad conſpiſſanda olea ceræ parum colliquare: atque iſta nitri ac piperis mixtione valentior reddenda eſt: ſint vero tenuiter contrita, & cribrata.

At miram habet vim ad reſolutos caſtoreum, etiam illitum cum aliquo ex antedictis oleis: ſed longe potentius eſt, ſi cum mulſa potui detur, portio vero tanta ſit, quantam in veternoſis novimus. Conjectare autem oportet, & ætatem ægrotantis, & mentem, an pluribus diebus bibere ſit paratus. Nempe innuctiones irrigationibus præſtant, facilius feruntur, & magis proficiunt: neque enim dilabentes lectum, & ſtragula inquinant, ægrotis vero id inutile eſt: illæ autem inhærentes corpori in colliquatas partes a calore ſorbentur, quin etiam & ipſarum perpetuitas conducibilis eſt: nam irrigatio diffluit. Inunctionum autem materia eſt, quæcunque a me ſupra dicta ſunt: cum ipſis vero caſtoreum. Accipitur itaque reſina terebinthi arboris, euphorbium, limneſtis (hoc eſt adarce), pyrethrum æquis portionibus, piperis, galbani dimidium, nitri ægyptii triplum, ceræ quantum ad liquida conſpiſſanda ſatis ſit. Cæterum medicamina multo magis, quam hæc, varia, & multo plura ſeorſum loco ſuo tradita ſunt. Epiplaſmata quoque duris diſtentiſque partibus ſuperdanda. Horum ſylva eſt lini ſenem, fœnum

Digitized by Google

græcum, farina hordei, mel, oleum, ubi ruta, aut anethum incocta ſint; althææ radix piſta, & in mulſa uſque ad ceræ mollitudinem decocta. Sunto vero & tractabilia, & temperatura ſuavia. Siquidem ægri adhuc febre vacant, aut leviter febricitant, poſthabita caloris cura hæc facienda ſunt.

At ſi febres acutæ ſunt, & reliquus morbus his levior eſſe videtur, febres vero in diſcrimen adducunt; ad has, & victus rationem, & reliquam curationem convertere oportet. Alimentis itaque ſumme tenuibus, & facilis coctionis veſcendum eſt, atque opportunitas nunc magis obſervanda. Et per totam curationem in exacerbationibus ſubtrahere, atque penitus in febres animum intendere oportet.

Cum morbus autem diu trahitur, & caput in cauſa eſt, cucurbitula occipiti affigenda, & ſanguis largiter hauriendus: plus enim, quam venæ ſectio, proficit, & vires nequaquam labefactat. Sed prius inter ſcapulas inanem cucurbitulam admoveas, ut in contrarium ejus, quæ in occipitio eſt, ſuccos revellat.

Etiam interdum & gula reſoluta eſt; in qua ſola attonitis ſalutis præſidium collocatur, devorandis ſcilicet alimentis, & medicaminibus tranſmittendis; neque enim inediæ famiſque tantummodo periculum inſtat, verum etiam tuſſis, difficilis ſpirationis, atque ſtrangulatus. Nam ſi quis intra os liquidum cibum infundat, in trachæam arteriam ſubterlabitur, cum neque tonſillæ ad impulſum ciborum concidant, neque epiglottis in proprium locum ſubſidat, quæ arteriæ aſperæ operculum a natura facta eſt. Quapropter opus eſt mulſam, aut ſuccum longa myſtilla infundentem, ſupraque arteriam attollentem in gu-

Digitized by Google

lam demittere: id quoque enim ad deglutiendum inſervit.

Verum enim vero ſi ægrotus jam morti proximus ſit, ipſius adeo cervix ſpirituſque congelaſcunt, ideo cervicem, & mentum calefactoriis illinito, & foveto. Fruſtra vero laborant, atque imperiti illi ſunt, quicunque ſub mento cucurbitulam, ut gula dilatetur, affigunt: quandoquidem non dilatatione ad impoſitionem ciborum, ſed ad deglutiendum compreſſione opus eſt, dilatat autem cucurbitula: & cum devorare velis, prohibet revellens ac retrahens; cum remittendum potius ſit, quo in devorando conſtrictio fieri poſſit. Inſuper tracheam arteriam repleri, ut ſtrangulatio fiat, periculum eſt, neque etiam ſi hac & illa in parte gutturis affixeris, cucurbitulam quicquam prodeſt; muſculi namque, & nervi, & tendones, & venæ ante ipſum poſiti ſunt.

Veſica utique, & laxum inteſtinum inter ſe proxima interdum ad excernendum debilitantur, reſolvuntur, recrementorumque ſemper plena reperiuntur: veſica vero, & in maximam molem extumeſcit. Interdum autem ita reſolvuntur, ut purgamenta continere nequeant: per ipſa enim tanquam inanima ſupervacua delabuntur. Tunc igitur inſtrumentum, quod Cathetera vocant, in veſicam demittere haud ſane tutum eſt; ne corrumpatur enim veſica, atque homo convellatur, diſcrimen impendet; ſed præſtiterit cremore haud multo alvum ſubluere; cumque ſtercus ab inteſtino ejectum fuerit, iterum injiciendum eſt cum oleo caſtoreum. Spes autem unica omnium pariter reſolutorum, ſeparatimque ſingularum partium eo vitio laborantium in oleum inſeſſio fuerit, quomodo vero ipſa adminiſtretur, in ſermone de diuturnis morbis exponetur.

Digitized by Google

De Comitialis acceſſionis curatione. Cap. V.

COMITIALIS morbi primus caſus pernicioſus eſt, ſi acute morbus invadit; nonnunquam enim & uno die hominem perdit. Periculoſæ etiam ſunt per circuitus exacerbationes, unde factum eſt, ut in acutorum numerum comitialis morbus poneretur. Quod ſi malo aſſueſcat homo, & morbus tenaciter adhærens occupet, non ſolum diuturnus, verum etiam nonnullis perpetuus efficitur: nam ſi ætatis florem vigoremque excedit, conſeneſcit cum ægro, commoriturque.

Quotquot igitur medicamina ut diuturno morbo conveniunt, in ſermone de diuturnis comprehendetur: quotquot autem ad mortis celeritatem evitandam facienda ſunt, horum plura in ſermone de attonitis tradidimus, venæ ſectiones, alvi ſublutiones, inunctiones, cucurbitulas: hæc enim ut homo expergiſcat, valentiſſime efficiunt. Quotquot autem prolapſui peculiaria adjutoria inveniuntur, ea in præſentia docebimus. Pueris itaque, quibus ex corruptione, aut ex vehementi refrigeratione inuſitata hæc labes inceſſit, vomitus aut cibi, aut pituitæ, aut aliorum quorundam ſuccorum prodeſſe conſuevit, pennæ autem irino unguento delibutæ nauſeam excitant, verum tamen & irino non uſque ad convulſiones tonſillæ ſunt illinendæ. Comprimere quoque leniter ilia opus eſt, puerum in ventrem ſuſpenſum convertendo: hæc enim figura ad vomitum habiliſſima eſt. At ſi vellatur, aut diſtorqueatur maxilla, aut manus, & crura jactentur, aut una cum toto corpore oculi diſtendantur,

Digitized by Google

dantur, manibus perunctis tractando demulcere convenit: obtorti oculi dirigendi sunt, rectæ partes ne torqueantur, suaviter continendæ: frigida membra lanis antiquis sordidis, attritisque panniculis fovenda: sedem præterea melle cum rutaceo oleo inungito, aut cum nitro, aut resina liquida cum his mixta: hæc quoque leviter intra anum intrudito: flatus enim proliciunt: flatuum autem excretio hujusce morbi in pueris medela est. Porro si deglutire valeant, pharmacum istud exhibendum est, cardamomi pars, æris combusti dimidia, hæc ex mulsa propinato; aut enim evomunt una cum humoribus ventriculum infestantibus, aut alvus subducitur. Optimum quoque est hujusmodi linctuarium, cardamomi, sinapi, hyssopi comæ par modus, iridis radicis pars cum nitro duplo, piperis tertia pars: omnia cum melle permisceto, & maxillam diducens, in os infundito: interius etiam, quam ubi sunt tonsillæ, quo deglutire valeant, injicito. Hæc adeo pueris expediunt.

Juvenibus autem & hæc quidem prosunt, verum etiam potentiora his medicamina ad vomitum deligenda sunt, ut narcissi, bulbi, sinapi, & hyssopi, pares partes, æris, & piperis dimidio minus, quam priora, cum melle miscens exhibe. Hæc profecto ad levandam exacerbationem abunde fuerint: quæ vero ad propulsandum morbum facient, in sermone de diuturnis morbis persequemur.

Digitized by Google

De Curatione Rigoris, quem Tetanum vocant.
Cap. VI.

IN præsentia lectum mollem, tractabilem, levem, suavem, calidumque esse necesse est: nervos enim inflexiles, duros, rigentesque morbus efficit: quin etiam cutis tota squalens aspera-que corpori obtenta est: palpebræ natura versatiles vix oculos connivendo protegunt; oculi intenti sunt in profundo convoluti, nec non & artus sunt deligati, ob distentionem immobiles. Ægroti domicilium calidum esto, si æstas sit, citra sudorem, aut resolutionem: ad syncopam enim morbus inclinat. Neque vero ad alia magna remedia cunctanter accedendum: haud enim differendi datur occasio. Quapropter sive ob refrigerationem absque manifesta causa rigor invaserit, sive ex vulnere, sive ex abortu mulieri incesserit; venam in cubito rescindito: curans in deligando brachio laxiorem compressionem fieri, sectionemque leniter, & facile expediri: siquidem ista nervorum convulsiones cient. Semel etiam cruor citra defectum animæ frigusque extremorum mediocriter effundatur. Neque inedia æger maceretur; res enim frigida siccaque fames est: propinetur itaque mulsa spissa meracior, & ptisanæ cremor cum melle. Ista namque, & tonsillis comprimendo minimum dolorem inferunt, & gulæ deglutiendo lenia sunt, & facilia, & ad molliendam alvum molliſſima, & ad vires instaurandas valentissima. Omne corpus lanis involvito oleo gleucino, aut crocino madentibus, in quibus aut rosmarinus, aut conyza, aut artemisia incocta sit: atque omnia & facultate, & ad

Digitized by Google

tactum calida sunto. Oblinere autem corpus unguine convenit, quod ex limneside, (quam adarcen esse putamus, quæ in stagnis nascitur,) & euphorbio, & nitro, & pyrethro conflatum est; his vero & multum castorei adjiciatur. Bene quoque fuerit tendones lanis contegere, & secundum aurem, & mentum loca perungere, nam partes hæ maxime patiuntur ac distenduntur. Præterea levibus calefactoriis fovendi sunt tendones, & vesica per sacculos milium torrefactum includentes, aut bubulas vesicas olei calidi semiplenas: quo locis, quæ foventur, secundum latitudinem applicari valeant.

Interdum coegit necessitas, ut capiti fomenta adhiberentur, quod neque sensibus usque adeo tutum est, neque nervis salutare, sensibus enim quandam caliginem effundit, multis halitibus ipsos petentibus: nervos autem replet. Quo circa, modo fovendi quam tutissimo utendum est, atque materia haud ita multum fœde olens deligenda; utique materia esto oleum in vesicis in duplici vase citra nidorem fervefactum; aut sales tenues, in sacculo; milium enim ac lini semen tactu quidem lenia sunt, sed halituosa, & graveolentia. Ratio vero fovendi hujusmodi esto; tendonibus resupinato ægro fomenta usque ad verticem subjicienda sunt: ulterius vero ad sinciput ne procedito. Iste namque locus omnibus sensibus communis est; ab ipsoque, tanquam ex fonte, omnia adjumenta, omnes noxæ scaturiunt. Quod si epiplasmata tendonibus superdanda sunt; erectum occipitium esto; nam si magis sursum versus imposueris, caput exhalationibus complebis. Materia sit autem epiplasmatum lini, & fœni græci semina. Post epiplasmata vero utilis fuerit cucurbitula occipitio

Digitized by Google

ab utroque ſpinæ latere adhibita. Sed parce admodum flamma accendatur; nam quæ ab labris cucurbitulæ fit circumpreſſio, doloris convulſioniſque author eſſe ſolet. Igitur diutius trahere præſtat, ac molliter magis, quam plurimum brevi tempore; ſic enim tibi in convexum locus ſine dolore attolletur, qui concidendus eſt. Scopus autem modi ſanguinis extrahendi tibi vires ægrotantis proponantur. Hæc utique rigoribus; qui ſine ulceribus fiunt, remedia conveniunt.

At ſi ex vulnere convulſio facta ſit, perniciosum profecto id eſt, ægreque de ſalute ſperari poteſt: nihilominus tamen opem ferre decet: quandoquidem nonnulli & adhibitis remediis mortem evitarunt.

Oportet ſane ultra cæteram medelam, & ulceribus conſulere cum calefacientibus, quæcunque a me jam dicta ſunt, irrigando, & fotibus, & cataplaſmatis, & medicamentis, quæcunque & facile calorem excitent, & humectando pus abunde moveant. Ulcera enim in rigore ſicca, & ſqualida ſunt. Accipito ergo thuris mannam, polii comam, terebinthi pinique arborum reſinam, althææ radicem, & rutam conyzamque herbam: hæc in cataplaſmatis commiſcere opus eſt, alia, quæ pulverea ſunt, inſpergendo, alia in oleo prius macerando, althæam vero in mulſa ante contuſam decoquito. Inſpergendum eſt etiam ulceri caſtoreum, neque exiguus inde in totum corpus calor emanabit. Horrores enim ab ulceribus prodeuntes malefici ſunt. Perungendæ quoque ſunt nares caſtoreo cum crocino unguento permixto: quin etiam caſtoreum trium obolorum pondere aſſidue bibere expediet, verum ſi ab hac potione gula laboret, interjicienda eſt laſerpitii radicis exhibitio ponderis tanti, quanti

Digitized by Google

& caſtoreum dandum eſſe diximus: aut myrrhæ dimidio minus, quam laſerpitium, ſed omnia cum mulſa potanda præbeantur. Quod ſi cyrenaici laſerpitii lachrymæ copia tibi fiat, hanc opus eſt melle cocto involutam ad ervi magnitudinem devorandam dare, ita enim optimum factu eſt, quo palatum præteriens ægrotum lateat; acris eſt enim ructumque inſuavis ac fœde olens excitat; ſi neque hac ratione devorari poſſit, in mulſa eliquata propinetur: omnibus enim potionibus, quæcunque calefacere, humectare, diſtentionem laxare, & nervos remollire aptæ ſunt, hæc haud dubie valentior eſt. Cæterum ſi nihil ægroti deglutiant, in anum caſtoreum cum oleo dandum eſt: hoc etiam anus cum unguine aut melle illinendus; hoc item veſica irriganda, & cum cera, ut craſſius reddatur, perungenda. Sin autem flatum ſtercuſque educendi tempus adſit, purgatorii, quod Hieram, id eſt, Sacram vocant, drachmas duas cum mulſa, & oleo in ſedem ejicito. Nam præterquam quod illa evocat, inteſtinum etiam, & inferiorem ventrem calefacit ac fovet; varium namque, & calidum medicamentum hiera eſt.

De Curatione Anginæ. Cap. VII.

DUÆ anginæ ſpecies reperiuntur. Altera cum caliditate, & magna tonſillarum inflatione, & extrorſum verſus tumefactione; quin etiam lingua, gurgulio, & omnes adjacentes particulæ in tumorem efferuntur. Altera iſtis locis collapſis, & ſubmiſſis efficitur; ſed interius compreſſio majore ſtrangulatu diſcruciat: ut interna inflammatio ad cor uſque pertinere videatur,

Digitized by Google

Huicque celerrime occurrendum eſt, nam & hæc celerrime ægroti rapiuntur.

Igitur ſi crapula, & ebrietas in cauſa ſunt, eodem die inferius humorem injicito, iſque duorum generum ſit, alter uſitatus, quo ſtercora educantur, alter ejuſmodi, ut aliquas a tonſillis pectoreque humiditates evellere poſſit; neque tamen in cæteris efficacior meraciorque eſto; ſed centaurii, & hyſſopi decocta infundenda ſunt: hæc enim & pituitam educere ſolent.

Si tenuis autem victus præceſſerit; ſcindere cubiti venam expediet, & latior ſectio, quo majore cum impetu, copioſiorque ſanguis emanet, facienda eſt. Hujuſmodi namque profuſio minime quidem ad caliditatem mitigandam ſatis eſt, ſed ſtrangulatum ſolvere, & reliqua omnia diminuere valet. Haud ignobile quoque adjumentum præſtat, ſi ad animæ uſque defectum ægrum perduxerit, uſque eo tamen, dum ne anima deficiat: quandoquidem nonnulli ſecta vena ab animi deliquio vita exceſſere. Item vinculis ſupra talos, & genua conſtringentes opitulabimur. Optima quoque ſunt vincula ſupra brachialia verſus cubitos, & ſupra cubitos verſus humeros.

At ſi deglutiendi via expeditiſſima ſit; elaterium, & cum mulſa, & cum ſero lactis, quantum ad purgandum hominem ſatis ſit, præbetur, aliis enim purgatoriis elaterium in his ægrotis præſtantius eſt. Conferunt etiam cneorum ſeu thymelæa, & ſinapi: ſiquidem hæc ambo ventrem repurgant.

In quibus vero inflationes deglutitionem impediunt; linguam ad palatum reflectens, ipſius vena reſcindito; quod ſi prompte multuſque ſanguis defluat, inter alia remedia hoc magis proderit. Irrigatione utique locis inflammatis pri-

Digitized by Google

mum quidem adſtringentes, quo retrorſum materiæ labantur, conveniunt, quam ob rem lanæ ſordidæ hyſſopo vino madentes, aut oleo ex immaturis olivis expreſſo accipiantur. Quin etiam cataplaſmata irrigationibus ſimilia ſunto, exempli cauſa palmulæ vino madefactæ tunſæque cum roſarum foliis, & molle cataplaſma, etiam hordei farina admiſceatur: aut lini ſemen, & mel, & oleum, ut omnium mixtura fiat.

Quod ſi ad ſuppurationem veniat, calida admovenda ſunt, quibus, & in altera anginæ ſpecie utendum eſt; adeſto igitur fœni græci farina, & manna, & reſina, quæ liquari poſſunt, & polii coma inſpergatur, nec non & fomentum calidum adhibeatur, ſpongiis in decocto lauri baccarum hyſſopique madentibus. Ad movendum pus autem efficaciſſimum eſt columbinus fimus tenuiter per cribrum, id eſt, lineum ſacculum inſtar pulveris tranſmiſſus, ac ſuper inſperſus, idem & caninus eodem modo præſtat. Ex mulſa vero cum lentis, aut hyſſopi, aut roſarum, aut palmularum, aut ſimul omnium decocto colluliones fiant.

Illinendum præterea totum os eſt uſque ad intimas fauces ſimplicibus quidem, ut mororum, aut malorum punicorum aqua maceratorum ſucco, aut palmularum decocto: compoſitis vero medicamentis, ut Diamoro, quod vocant, aut eo quod ex Beſaſa, id eſt, ruta ſylveſtri, & ſucco rhoi componitur; aut Diachelidonio, id eſt, ex hirundinibus confecto medicamento.

Sin ulcera cruſtoſa ſint, collutiones, & gargariſmi fiant ex hyſſopi in mulſa, aut pinguium ficorum in aqua decocto: præter hæc amylum percolatum in mulſa, aut in ptiſanæ tragive cremore.

Digitized by Google

Si Angina cum concidentia, quæ erat altera ſpecies, occupet, ab interioribus extrorſum omnia evocanda ſunt, & humores, & caliditas, & omnis caro, ut totum foras extumeat. Proinde calidæ irrigationes ſunt cum ruta, & anetho, nitro inſperſo. Et cum his ſuperius memorata cataplaſmata. Proficit etiam ceratum ex nitro, & ſinapi ad calorem excitandum ſuperdare: calor autem exterior hujuſmodi vitium tollit, ſed in collo tumor extuberat.

Tumor autem foras in ſublime elatus a pulmonis inflammatione liberat, intus vero abditus anginam patientibus pernicioſum malum eſt. At quicunque ſtrangulationem ab angina verentes, quo laxius ſpiritus duceretur, arteriam ſecuerunt; non ſane experimento rem comprobaſſe videntur. Quippe caliditas inflammationis major ex vulnere efficitur, ſtrangulatum adauget, tuſſimque commovet. Quin etiam ſi alioqui periculum id evaſerint, vulneris oræ in unum coaleſcere nequeunt; ambæ enim cartilagineæ, atque inter ſe inglutinabiles ſunt.

De Curatione Columellæ. Cap. VIII.

VITIORUM, quotquot columellam infeſtant, aliqua per ſucciſionem curare neceſſe eſt: ſed de eorum chirurgia diſputare ad præſentem locum non attinet. Aliqua, utpote acuta, medicamentis ſananda ſunt, & difficultate ſpiritus aliqua iſtorum hominem perimunt. Talis eſt utique quam Uvam, & quam Columnam dicimus: utraque enim cum inflammatione, craſſitie, longitudineque ſuboritur, ita ut in arteriam pendulæ fiant. Æquabili ſane craſſitudine a baſi ad

Digitized by Google

ſummum uſque palatum columna, inæquali vero uva conſtat, hujus enim ad palatum baſis gracilis eſt, in extremo teres, & craſſa, rubens aut livida, idcirco & Uvæ appellationem id vitium ſortitum eſt. Quapropter his mature opem ferre decet: celerrima namque a ſtrangulatu pernicies impendet.

Proinde ſi ægroti juvenes ſunt, a vena cubiti ſanguis detrahendus eſt: utque largius evacuetur majore plaga vena aperiatur: ſiquidem hujuſmodi ſanguinis detractio a ſtrangulatu, tanquam a laqueo, ægrotantem liberat. Subluenda quoque alvus eſt mitiori lotione primum: deinde alias, atque alias acriore, uſque eo, dum aliquid a ſuperioribus partibus derivetur. Circumdentur & vincula adſtringentia extremis cruribus ſupra malleolos, & genua, nec non & humeris ſupra brachialia atque cubitos.

Quod ſi ſtrangulatio invaleſcat, cucurbitula occipitio atque pectori adglutinetur, & iſtarum aliqua incidatur: omniaque adminiſtrentur, quæcunque a me in capite de angina præcepta ſunt, cum eadem utroque vitio ſit mortis ratio. Iiſdem præterea intra os medicamentis, & adſtringentibus, & mollientibus, & exteriori fotu, & cataplaſmatis, & oris inunctionibus utendum eſt. Circum columnam vero, aut circum uvam adſtrictorium rhoi ſuccum, acaciam melle aut aqua diſſolutam, hypocyſthida, terram Samiam, Lemniamve, aut ſinopicam rubricam, atque omphacium ponito.

Si ulceroſa ſit uva, gummi, & amylum roſarum aut palmularum decoctio liquefacta, item ptiſanæ aut tragi cremor adhibeantur. At in columnæ curatione aliquanto plus valentiorum medicaminum adjicito; quæ ex myrrha, coſto, atque

Digitized by Google

cypero componantur. Nam id genus acria columna tolerat.

Verum si nonnullis locus iste puruleutus effectus est, atque palati ossa computruerunt; hi longo temporis intervallo vitam finiunt. Sed horum auxilia nobis alio præcipientur.

De Curatione pestilentium in faucibus morborum. Cap. IX.

HOrum vitiorum curatio cum aliis tonsillarum affectibus qua communis est, qua propria.

In inflammatione, & strangulatu purgatio per clysteres, venæ sectio, irrigationes, cataplasmata, fotus, deligationes, cucurbitulæ, omnia demum eadem, atque in his, conveniunt. Illitiones autem acriorum medicamentorum faciendæ sunt: neque enim ulcera quiescunt, neque crustæ in superficie fiunt.

Verum si ab his sanies ad interiora destillet, celeriter partes, etiam si integræ erant, ulcerantur: celerrimeque ulcera interius depascendo serpunt, atque hominem perimunt.

Porro igne vitium adurere, cum in superiori parte sit: imprudentis esse propter Isthmum judico. Sed medicamentis igni similibus, quo, & depastio coerceatur, & crustæ decidant, utendum præcipio. Ea vero sunt alumen cum melle, galla, balaustium arida cum mulsa. Hæc eadem calamo, aut penna, aut crasso, & oblongo caule, quo medicamina ad ulcera perveniant inspiranda sunt. Optima sane est & chalcis usta cum trita cadmia ex aceto: esto autem cadmia portione dupla, & rhei radix cum aliquo humore.

Digitized by Google

Præterea ne ulcerum compreſſio fiat, cavendum eſt: ab ea namque, & humeſcunt, & magis exedunt. Hac de cauſa opus eſt penna medicamenta arida inſpergere: liquida vero liquentiſſima reddentem in gurgulionem infundere.

At ſi cruſtæ jam reſolvuntur & ulcera rubida fiunt, tunc convulſionis maxime periculum ſubeſt, reſiccantur enim plerumque ulcera, & cum his nervi diſtenduntur. Itaque lacte cum amylo, & ſucco ptiſanæ, aut tragi, aut lini ſeminis, fœni græci, remollire madefacereque convenit.

Quibuſdam & columella uſque ad palati os exeſa eſt: quin etiam tonſillæ ab baſim uſque, & epiglottida; ac propter cicatricem devorare neque ſolidum quicquam, neque liquidum poterant. Sed & ipſum, quod bibebat, interdum repercuſſum hominem fame necavit.

De Curatione Pleuritidis, ſeu morbi lateralis. Cap. X.

NULLA moræ atque dilationis in pleuriticis, quin protinus valenti remedio ſuccurramus, datur occaſio; febris enim peracuta ad perniciem properat: dolor quoque ſuccingentis membranæ in pejus urget, nec non & tuſſis pectus caputque concutiens vires proterit. Quocirca eodem potiſſimum die vena cædenda eſt. Sin autem ex ingurgitatione ciborum potuſque ægritudo provenerit; inedia diem unum ægroto imperanda: poſt, ſanguinem a vena mittito, quæ in cavo cubiti eſt, non ejus, qui ſecundum rectum inceſſum inflammatis coſtis opponitur: præſtat enim maxime procul abducere. Sanguinem vero ne uſque ad animæ deliquium fundito: nam ſi refrigeratum

Digitized by Google

corpus animo deſtituitur, pulmoniam invadere periculum eſt. Humores enim exteriori caliditate attractioneque privati in penitiores relabuntur. Item pulmo rarus, calidus, ad trahendumque valentiſſimus eſt, coſtis etiam proximus, earumque doloris eſt particeps.

Verum morbi pulmonis pleuritidi ſuccedentes non uſque quaque ſalubres ſunt. Pleuritis vero a pulmonis vomica exoriens benignior eſt. Quapropter cum mediocriter ſanguis effluxerit, interjecto ad recreandum hominem temporis ſpatio, iterum detrahere opus eſt: ſi bene quidem habeat, eodem die, cum longa remiſſio ſit: ſin minus, poſtridie. Quod ſi neque febris remittat, (ſæpe enim diem unum febris occupat, & augetur,) tertio die in ſecunda remiſſione, in qua & cibi dandi ſunt, ſanguinem mitte: totum hominem uberius perungens, coſtiſque oleum molle infundens, cum calido unguine ex rutæ anethive decocto. Ipſum vero latus admodum leniter irrigandum eſt, ſed nonnullis & dolor, & inflammatio erupit, ut eorum locorum affectus eſſe videretur, cum tamen id interiorum vitiorum incrementum ſit.

At in præſentia de alimonia, quemadmodum & de univerſa curatione, quo nihil in ea delinquatur, ſermonem habeamus; in alimentis enim medicamenta ponentur, quin imo in alimentis medicamenta ſunt. Itaque genere calidus humiduſque cibus eſto, lenis, æquabilis, migmatodes, id eſt, bene permixtus, diſſolutorius, pituitam ſolvendi, extenuandique poteſtatem habens. Proinde cibariis omnibus ptiſana anteponatur; initio quidem, quo ipſius craſſamentum ſolidumque rejiciatur, in cremorem percoletur, ſoloque cum melle condiatur, ab ipſa vero uſi-

Digitized by Google

tata ad voluptatem varietatemque parandam medicamina removeantur; in hac enim ægritudine ſolus cremor ſatis eſt. Quippe humectare, calefacere, pituitam ſolvere, & detergere, per ſuperiora ſine moleſtia, quæcunque evocanda ſunt, evocare, facile quoque ventrem ducere ſola ptiſana poteſt. Ipſius vero lenitas blanda eſt, & ad devorandum habilis, ipſius etiam lentor caliditates mitigat, membranas mundat, tuſſes concoquit, omnia emollit: tales hordei virtutes ſunt. Halica vero ſecundum gradum occupat: quæ cum pauca quædam cum ptiſana communia poſſideat, ob ea probatur, optimaque cenſetur. Lentor enim, lenitas, ſuavitaſque in devorando utrique communes ſunt: in cæteris omnibus halicam ptiſana antecellit: ſed ea quoque ſimplex cum melle ſolo conficiatur. Tragi præterea boni ſunt. Deterior ipſis oryza eſt: quoniam ſiccat, & exaſperat: potiuſque coſtarum purgationem ſupprimit, quam facilem reddit. Optimus quoque eſt panis aridus, contuſus, per ſubcerniculum tranſmiſſus, bene temperatus, concoctu facilis: cum mulſa, quantum ſatis eſt, alimenti præbet.

Nempe ſi jam diu morbus producitur, cum dictiſque cibariis homo labare cœpit, ptiſana ex hordeo præbeatur bene trita, bene cocta, condiatur vero anetho, ſale, & oleo tenui, puro, non viſcido, non exaſperante. At non multum olei cum ptiſana coquere præſtat: nam & ſorbitionem pinguem reddit, & pravitatem oleum deponit: longa enim decoctione in cremorem hordei abſorptum, amplius non apparet. Item porrum cum ſua coma, & amygdala amara cum cremore incoquantur. Ita namque ferculum ad ſpirationem expediendam commodum medicamentoſumque ab his efficitur. Porri autem cum cre-

Digitized by Google

more comesti utilitatem juxta delectationemque summam afferunt. Jam vero, & ovorum bonum succum creantium opportunitas adest, ac si humida copiosaque per os materia feratur; sulphur ignem non expertum nitrumque in ova inspergito. Sed mirifice prosunt ova nuper a gallina edita ex igne carentia, quippe a matre caliditas inest igne quidem humidior, sed ægrotanti familiarior, utpote animali ab animali.

Sin autem pituita glutinosa ac tenax sit, in ova oleum infundito, ac resinam siccam pineam, quo sulphur melius reddatur, inspergito, nec non & terebinthi resinam liquato. Piper præterea in ovis, in ptisana, in omnibus epulis, & quæcunque piperi similia sunt, bene proficiunt. Inter carnes extremi pedes in cremoribus eliquati, columbæ, gallinæ elixæ, porcorum cerebra cum omento quidem tosta, sine illo vero nidore vacantia. Si inter spirandum æger strepitum non reddit, dandi sunt etiam marini pisces aut saxatiles, quidquid optimum regio ferat. Verum ut neque cupiditate delinquat, neque victus tenuitate contabescat, ex fructibus malum concedito in aqua, aut mulsa elixum, aut cum adipe assatum, sed corium, & interiora aspera cum seminibus abjiciantur. Tempore quoque illo, quod Horam græci nominant, ficus, & alii id genus fructus concedantur; quatenus, scilicet, innoxii sunt, quin potius adjumentum præstant. Hæc sane de alimentis abunde sint.

Lateri autem lanæ superdentur sulphure fumigatæ, unguine imbutæ in quo anethum rutave incocta sit. Igitur his latus madefaciendum, cataplasmatisque ante cibi assumptionem tegendum est; præter usitata cataplasmata fertulam in mulsa elixam accipito, cui papaveris carnem incoctam

Digitized by Google

commiſceto, mannæ quoque pulviſculum inſpergito. At ſi humidius ſputum copioſumque rejicitur, lolii farina, aut irionis commiſcenda eſt, & nitrum inſpergendum.

Cæterum ſi morbus producto, dolor eſt pertinax, & humida fit expurgatio; tunc purulentum hominem fore ſperatur, itaque ſinapi, & cachrys cataplaſmatis admiſcenda ſunt.

Sed ſi penitiores locos ægroti frigidos eſſe perſentiunt, acetum affundito, illud autem efficere operæ pretium eſt, ut cataplaſmatum calor diu efficax permaneat, melior eſt enim id genus caliditas, quam cataplaſmatum innovatio. Proinde calefactiones in ſacculis ex hujuſmodi, utpote ex milio fiant, aut ex calenti oleo in veſica incluſo. Omnis vero fotus machinatio, ne pondera dolori dolorem adjiciant, levis eſto, his enim levibus, & aſſumpto cibo, cum dolor infeſtat, uti nihil prohibet.

Jam vero poſt hæc etiam admovendæ cucurbitulæ occaſio adeſt. Sed hoc poſt ſeptimum diem facere optimum fuerit: ante ne feſtines, haud enim placidi morbi ſunt quicunque ante ſeptimum cucurbitulam requirunt. Eſto autem magna, omni ex parte lata, dolentem locum ambire valens, quippe cum haud interius deſcendat dolor, ſed in latitudinem diffuſus ſit. At flamma ſub cucurbita multa eſto, quo non ſolum attrahat, verum etiam ante ignis extinctionem calefaciat. Extincto igne ſcarificandum eſt, tantumque ſanguinis, quantum vires permittunt, detrahendum, multo vero plus eſto, quam ſi alia de cauſa de præcordiis ſanguinem haurires, nam maxime perſpicuum eſt, quod in lateris morbo vexatis a cucurbita percipitur adjumentum. Sal quidem, aut nitrum in ſcarificationibus mordacia

Digitized by Google

ſunt ac dolorifica, ſed ſalutaria. Quapropter conſiderandæ ſunt hominis vires, & ingenium; nam ſi forti animo ac tolerans ſit, ſal inſpergendus eſt, non ipſis vulneribus ita, ut ipſa contingat; ſed ſuper linteolum oleo maditum inſpergatur, id vero ſuper locum ſcarificatum extendito: humiditates enim ex ſalis colliquatione manantes minus quam ſal, mordaces ſunt. Sed multo oleo perfundendum linteolum eſt, quo hujus lenitate morſionis dolor retundatur.

Secundo die autem cucurbitulam affigere mirifice juvat, ut ex vulneribus tenuis quædam ſanies extrahatur, id vero priore cucurbita multo eſt efficacius, multoque magis vires conſervat, neque enim ſanguis, aut alimentum, ſed ſanies emanat. Atque id quidem facito, cum prius vires exquiſite perpenderis.

Die tertio ceratum cum cyprino oleo, & rutaceo imponito.

Quod ſi ulterius purgatione ſputa indigeant, in ceratis reſinam eliquato, aut ſulphur ignem non expertum admiſceto, atque iterum fotum loco adhibeto.

Porro modus cucurbitæ talis eſto, fictile vas habendum eſt, læve, lateri congruens, latum, aut æneum. Id pronum in labra dolentibus locis circumponito: flammam vero multam cum oleo ſubjicito, quo vivens flamma in longum tempus ſufficiat. Vaſculi autem oras carni ne imprimito, ſed ad difflationem tranſitus aliquis eſto, quo minus ſuffocata flamma extinguatur; diutius vero illam accendere expedit; nam intra vas illud incluſa caliditas optimum fomentum eſt, & bona ſudoris provocatio. Neque vero medelam inferioribus partibus adhibendam negligere oportet: viris quidem in anum rutaceum oleum, mulieribus

Digitized by Google

bus autem & in uterum infundendum est. Perpetuo sane quæ bibuntur, ac devorantur, sunto mulsa cum ruta, & succo ptisanæ, si continenter tussit, ut in alimento medicamentum sit.

Verum si nondum alimenti præbendi tempus adsit, aliquod compositum, quod Picerium Græci dicunt, accipiatur, variis constans, cum melle ad consistentiam decoctum. Globulos autem fabæ magnitudinem æquantes, turbinatosque dare oportet sub lingua continendos, ut non devorabile, sed eliquabile sit. Suave quoque id, quod ex papavere cum melle ac sertula campana medicamen conficitur lene, atque somniferum. Hæc utique, & ante cibi assumptionem, & assumpto cibo, & post somnum ipsum præbenda sunt; sed jejuno homini medicamentosa exhibeantur: quale est, quod hæc accipit, urticæ, lini seminis, amyli, nucis pineæ cujusque contriti cyathum, amygdala amara numero viginti quinque, totidem & piperis grana; oportet autem hæc torrere, ac trita cum melle ad eclegmatis temperaturam permiscere: horum detur myxtilla una; si autem æger liquida crudaque excreat, myrrhæ drachmas duas, croci drachmam unam, piperis grana quindecim, cum mellis libra subigito; id sane medicamentum, & ante cibi acceptionem myxtillæ dimidiatæ mensura dari debet, bene facit in longo lateris morbo, quando & oxymel dare convenit, si spirandi urgeat difficultas.

Frigidam vero aquam quicunque medici pleuriticis concesserunt, neque, qua ratione id fecerint, assequi valeo, neque experimento confirmare, quippe si qui a frigida periculum exitarunt, hi profecto mihi non laborare pleuritide visi sunt. Verum apud vetustiores etiam medicos species

Digitized by Google

quædam concurſus, pleuritis, ſeu Lateralis morbus vocabatur; cum bilis eſſet excretio, cum dolore lateris, & exigua febre, vel etiam ſine febre. Hujuſmodi ſane affectus nomen quidem pleuritidis, rem vere non obtinet. Quin etiam ſpiritus nonnunquam in latere concluſus ſitim, dolorem partium, mollemque caliditatem excitat: id quoque vitium ignari homines Pleuritidem nuncuparunt. His nempe frigida aqua remedio eſſe poterit, cum proſpera utentis fortuna extincta ſitis erit, bilis ac ſpiritus per inferiora ſubducetur, & dolor, & caliditas exhalabunt. Verum in lateris inflammatione, & ſuccingentis membranæ tumore non ſolum frigida aqua, ſed etiam frigida reſpiratio noxia eſt. Itaque ſi ex prius tradita medendi ratione incolumes redduntur pleuritici, paulum tamen adhuc tuſſiunt, & caliditas ſubinde repetit, atque infeſtat, ad hæc penitus diſcutienda maturandum eſt; aut enim quæ relinquuntur, recidivas faciunt, aut ad ſuppurationem convertuntur.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS

DE

ACUTIS MORBIS CURANDIS.

LIBER SECUNDUS

JUNIO PAULO CRASSO PATAVINO *INTERPRETE.*

Curatio Peripneumoniæ. . . . *Cap. I.*
Curatio Hæmorrhagiæ. . . . . *Cap. II.*
Curatio Cardiaci Affectus. . . . *Cap. III.*
Curatio Choleræ. . . . . . *Cap. IV.*
Curatio Volvuli. . . . . . *Cap. V.*
Curatio Acutorum Jecoris Affectuum. *Cap. VI.*
Curatio Acuti morbi Venæ, & arteriæ dorsi. . . . *Cap. VII.*
Curatio Acuti Renum morbi. . . . *Cap. VIII.*
Curatio Acutorum Vesicæ vitiorum. *Cap. IX.*
Curatio Vulvæ strangulatus. . . *Cap. X.*
Curatio Satyriasis. . . . . . *Cap. XI.*

Curatio Peripneumoniæ. Cap. I.

PERACUTUM lethaleque malum est inflammatio repletioque pulmonis: quas strangulatus brevis consequitur: Igitur æquis resistentia viribus matureque ferenda subsidia sunt. Protinus in cubito venæ aperiantur, sive utraque in dex-

Digitized by Google

tra videlicet, ac læva manu, idque potius ſive una tantum, & ea major, quo ab utraque pulmonis regione humiditatum revulſio, non tamen uſque ad animi deliquium fiat; ſtrangulatum enim animi deliquium auget. Cæterum ſi vel paulum reſpiraverit, tunc ſupprimendus ſanguis eſt, ac denuo poſtea mittendus; nam ſi a ſanguine morbi cauſæ provenerint, eas venæ ſectio tollit. Atqui ſeu pituita, ſeu ſpuma, ſeu quævis alia humiditas tumefaciat, venarum inanitiones ampliorem pulmonis locum ad reſpirationis tranſitum efficiunt: opus eſt autem humores, & flatus, poſt venæ ſectionem deorſum verſus trahere, nitro; melle, ruta, reſina terebinthi liquida ſedem oblinendo: ſed miſſionis ſanguinis loco, ſi quod majus impedimentum ſit, acrem ſuccum per clyſterem in ſedem immittito, ut puta, ſalem cum nitro, aut terebinthi reſinam cum melle. Ruta quoque in oleo, & hyſſopum in aqua decocta. Item cucurbitæ ſylvaticæ carnes interiores in aqua excoctæ conveniunt. Præterea inanes cucurbitulæ egregie faciunt; ſic ergo dorſo præcordiiſque ubique adhibeantur: quod ſicubi pectus carnulentum ſit, quo minus circum oſſa cutim cucurbitula incumbens affligat, ibi etiam affigito: nam ſi ad quamcunque partem corporis humores diſtrahantur, & ſpiritus ad extima evocetur, quibus pulmo opprimitur, aliquod mali ſolamen invenias: omni enim ex parte Pulmonaria obſidenda impugnandaque eſt.

Verum neque ullum ex his medicamentis, quæ ore ſumpta conducunt, deſpiciendum eſt: quippe ea eſt natura pulmonis, ut ſive recte valeat, ſive ægrotet, ad ſe humores alliciat. Quo circa ejuſmodi medicamenta præbeantur, quæ-

Digitized by Google

humores ad tranſpirandum attenuent, lubricos fluxileſque ad extrudendum efficiant. Propinetur quidem celeriter juvandi cauſa nitrum cum hyſſopi decocto, aut muria cum aceto, & melle, aut ſinapi humidum cum mulſa: ſingulis autem iridis radicem, & piper inſpergere auſo bene cedit, item hæc arida cribrato, & cum melle exhibeto.

Quod ſi interdiu inſomnes ſint, & noctem quoque totam pervigilent; ne hominem furor corripiat, metus eſt: variiſque ſomnificis medicamentis, niſi ægritudo remittat, uti decet: quo medicamenta in tempore data morbi acerbitatem leniant, & obtundant: multa vero ſoporifera ſunt.

At ſi in ſtrangulationis impetu, jamque adventante interitu medicamen præbeas, apud tuos contribules mortis ejus author appellaberis.

Alimenta pariter ejuſmodi eſſe debent, acria, videlicet tenuia, craſſitudinem diſſipantia, extergendique facultatem habentia. Inter olera porrum, aut cornicis pes, aut urtica, aut braſſica in aceto incocta. Inter frumentacea vero ptiſanæ cremor parum origani, aut hyſſopi, nec non piperis, ſed plus nitri loco ſalis accipiens. Alica præterea mulſæ incocta prodeſt. Omniaque per elixationem flatum abjiciant: flatus enim vomica pulmonis laborantibus infeſti ſunt. Vinum, ſi febre vacant, quod haud ita multum adſtringat, potui detur; quippe denſat corpora adſtrictio. Iſtis vero membra potius laxanda ſunt, ſputique eductioni ſtudendum. Sed in totum potus modicus eſto, cum pulmoni madefactio inimica ſit, quoniam a gula atque ventriculo trahit. Thorax autem lanis oleo imbutis cum nitro, aut ſale contegatur. Optima inunctio eſt ea, quæ ex adarce fit. Sinapi etiam aridum, & cum cera-

Digitized by Google

to humido prodeſt. Atque in ſumma & humores, & calor, & ſpiritus foras educendi ſunt. Huic rei opitulantur acrium olfactus atque illitio, & extremorum deligatio. Hæc facienti niſi morbus cedat, de hominis valetudine actum eſt.

De Hæmorrhagiæ curatione. Cap. II.

OMNES ſanguinis effuſiones haud mite vitium ſunt, non modi ſolum ratione, ut ſi per fracturam, aut eroſionem, verum etiam ſi per rarefactionem effunditur, neque ſi ex pectore, aut pulmonibus, aut ſtomacho, aut jecore fertur, periculoſum eſt: e capite vero ſi defluit, minorem noxam affert: ſanguinis enim exitus eſt. Sanguis autem omnium eſt alimentum, omnium calor, omnium color, terroremque incutit, ſanguinem ab ore utcunque manantem intueri, malumque eſt, ſi a primario viſcere: pejus vero ſi ob fracturam, aut eroſionem profunditur. Hujus itaque vitii medicus ad opem ferendam maturet, neceſſe eſt.

Inprimis quidem aërem frigidiorem ad reſpirationem deligito; conclave non titubans, cubile firmum, quo nullam in partem quatiatur, inhabitet: concuſſiones enim malum exaſperant, ſtratum ſolidum, haud multum cedens, neque profundum, neque calidum eſto: poſitus figurave corporis erecta ſit ne ſermocinentur, neve ſermones audiant, animi abſit perturbatio, ſed contra oblectamentis leniatur: ſiquidem id genus ægrotos magna animi conſternatio corripit: quis enim vomens ſanguinen mortem inſtantem non perhorreſcat?

Digitized by Google

Igitur ſi ſanguine referti ſunt, & venas prominentes habent, in qualibet ſanguinis profuſione venam pertundito, nam ſive ex fractura, ſive ex eroſione profluit, ſectio venæ conducit. Sin rarefactio in cauſa eſt, ne multitudo venam effringat, metuendum; cædenda eſt autem cava in cubito vena. Etenim ex hac facile ſanguis effluit, & ipſa ſectioni expoſita eſt: utque per plures dies ſanguis innoxie decurrat, commode aperta ſervatur, in omnibus autem omnium (ut ita dicam,) præcipuorum viſcerum hæc eſt ſanguinis via. Vena utique hac ſuperior, nec non & hæc unius in brachio venæ ambæ propagines ſunt, quare nihilo plus ſuperior, quam media emolumenti affert, nam propaginum ignari ſunt, quotquot ſtomacho, & jecori ſuperiorem venam copularunt. Sin a liene ſanguis fertur; ſiniſtræ manus venam illam quæ inter minimum anularemque digitum ſita eſt, reſcindito: quandoquidem medicorum nonnulli eam ad lienem uſque pertinere arbitrantur; verum & hæc ipſa inter cubiti venas inferioris propago eſt, cur itaque potius eam quis prope digitos, quam in cubiti curvatura proſcindat, cum hoc in loco amplior ſit, & ad effluxum habilior?

Prorſus quidem ante animæ defectum ſanguis cohibendus eſt, atque haud ita multus auferendus: nam & ipſa cruoris per os effuſio ſatis hominem labefactare poteſt; aſſidue vero poſt paucum detractum ſanguinem iterum detrahito, & eodem die, & poſtridie, nec non, & perendie. At ſi ægrotus tenuis, & inops ſanguinis ſit; venam ne ſcindito. Hæc de ſanguinis miſſione abunde ſint.

Succurendum eſt etiam extremorum deligaturis, pedum quidem ſupra malleos, & genua,

Digitized by Google

manuum vero ſupra brachiale, & cubitum: faſcia ipſa lata ſit, quo ſit validior, neque dolorem moveat conſtrictio. Nempe locis, unde ſanguis erumpit, lanas ovium ſuccidas imponito, & humore perfundito, utpote auſtero vino, & roſaceo aut myrtino oleo. Si cruoris effluvium urget, lanarum vice ſpongiæ admovendæ ſunt, & pro vino acetum infundito, locumque myrtino ſubungito, in omnibus autem ſpongiis acaciæ, aut hypocyſtidis etiam aloes ſucci aridi ſunt; optime facit & omphacium aceto liquatum.

Quod ſi irrigatio ſordida ſit ægreque feratur; emplaſtris uti conveniet: cutim enim circumtendunt, ac veluti manu corripiunt; ii enim ſua facultate refrigerare, exſiccareque magnopere valent. Infinitæ vero aliæ aliis experimento cognitæ vires inſunt: ſed optima emplaſtra ac tutiora ſunt, quæcunque acetum habent, & ſalicis foliorum ſuccum, nec non, & bitumen, & æruginem, & alumen, & thus, & myrrham, & æs uſtum, & æris ſquammam, atque in ſumma quæcunque hujuſmodi emplaſtra ſunt; emplaſtris ſordidæ lanæ, aut ſpongiæ pauco aceto perfuſæ ſuperdentur.

Sin emplaſtorum diſtentionem ferre nequeunt, id genus epithema facito. Palmulæ pingues nigro vino auſtero maceratæ ad mazæ, id eſt, placentæ craſſitudinem conteruntur; poſtea acacia trita, & malicoria inſperguntur; hæc omnia panniculo trito ac veteri illita pectori inducuntur. Item polentam vino aut aceto perfuſam, nec non lentis farinam tenuem per incerniculum transmiſſam cerato ex unguento roſaceo facto excipiens imponito: cum quo, & ſymphyti radicem tuſam, & cribratam admiſceto. Aliud epithema hæc recipit. Prunorum damaſcenorum quæ Bra-

Digitized by Google

byla Græci vocant, agreſtium radices in aceto incoquito, ad ſpeciem placentæ contundito, ac rhoi, commis, myrti paulum miſceto: ex his utique alia aliis, prout medicaminum efficacia, lenitate, odore opus eſt, miſcenda ſunt: ſiquidem & ægrotantibus gratificari decet. Hæc nimirum exterius applicanda remedia ſunto.

At his præſentior medela in potionibus devorandiſque conſiſtit, ut proxima vulneratis partibus medicamina ſint. Porro triplex iſtorum forma eſt, ut vel fluxionis ductus ligent, cogendo vaſcula, & comprimendo: vel defluentem humorem craſſum compactumque efficiant, quo licet tranſitus pateat, ne deſtillet: vel exſiccent incurſus in ſede antiqua ſanguinem retinentes; ut ne effluvio loci exhauſti ita permaneant, exundatioque ibi ſit, quo facta eſt effuſio.

In venarum quidem rarefactione adſtrictio ſatis eſt: ipſæ namque ceu ſitula nova imbecilla in rarefactionibus perfluunt. Diviſionibus vero, ut labia committantur, adſtrictio quoque medetur: ſed majoribus valentioribuſque medicamentis utendum. Verum enim vero ſi ſit eroſionis modus, neque per adſtringentia ulceris oræ cogantur, ſed vulnus dehiſcat, neque ex compreſſione in unum redire valeat; ſanguinem atque calorem congelare neceſſe eſt, nam iſtorum immobilitate concretioneque profluvium coercetur. Poſca igitur rarefactis adſtringendum ſatis eſt: neque enim ſanguis effluens purus eſt, ſed ipſius ſanies per oſtiola parva dilabitur, atque hujuſmodi poſca neque adeo multa, neque frequenter egemus. Nonnullis & exterius admota remedia abunde fuerunt. Quin etiam palmularum, aut ſiliquarum eſculentarum, decoctum potui datum ſolum quoſdam liberavit: eſto autem acetum ex

Digitized by Google

vini adſtringentis genere; quod ſi non medicatione, tempore ſaltem acre adſtringenſque evaſerit.

Verum in vulnerum dilatationibus præter poſcam medicamenta primum ſimplicia adhibeantur, ut plantaginis, aut ſanguinalis herbæ, aut ſeridis ſuccus ſingulorum portio æqua cum poſca; quod ſi adhuc plus effluat, hypociſtidis, aut acaciæ, ſuccorum cujuſque pondo drachmam in tres poſcæ cyathos inſpergito, optime vero facit & uvæ acerbæ ſuccus. At ſi calamitas hæc ſemper in pejus irritetur; gallam tritam, & rubi radicem arefactam, & lapidem ex mari, Corallium quod vocant, aridum tuſumque conſpergito, verum rhoi radix ad refrigerandum, ſiccandum, adſtringendum, omniaque facienda his efficacior eſt, ſed hæc quoque cum poſca ſola præbetur.

Sin auxilia majora requiruntur: radicis hujus tres obolos, ſeridis atque plantaginis ſuccis, qui trium aut quatuor cyathorum menſuram compleant, injicito.

In eroſionibus autem prorſus adſtringentia exhibere tenta: quo dilabentem ſanguinem concretum, compactumque reddas, & ſuſcipientia membra conſtringas: ut procul a vulnere venæ concidant, & occludantur; quin etiam quæ bibuntur, tenacia ſunto, concretionem efficere valentia. Succum igitur coriandri ex aceto propinato; item & leporis, aut hinnuli, aut hœdi coagulum. Sed multum ne concedito: nam iſtorum aliquod nonnunquam plus, quam convenit, datum hominem jugulavit, coriandri quidem ſucci ne minus ſemicyatho cum tribus poſcæ cyathis præbeatur: coaguli vero tres oboli, ad ſummum quatuor. Ad hæc hujuſmodi fluoris

Digitized by Google

ſanguinei ſpeciebus, & terra Samia efficaciter ſubvenit, & eretrias, & aſter quæ vocatur, valde candida, & rubrica ſinopica, & ſigillium Lemnium. Iſtorum pondus minimum drachma: maximum drachmæ tres cum decocto aliquo præbeatur; ut palmularum, aut ſiliquarum edulium, aut rubi radicum.

Sin arteria exaſperatur proptereaque tuſſiunt, in Cretia ſapa id genus terræ inſpergatur: egregie ad arteriam leniendam, & amylum facit cum lævore, & glutinandi poteſtatem habet. Si profuſio ſanguinis urget, ſemel in die ante cibi aſſumptionem dandum eſt; ſin minus, & ſecundo, & tertio ſub veſperam. Ex medicamentis quoque ſiccis catapotia fieri poſſunt ex melle ad conſiſtentiam decocto, qualis eſt galla trita: optimus eſt etiam rhus, quo in obſoniis utimur, vinacea, acuti rumicis ſemen, per ſe ſingula, & ſimul omnia. Hæc utique, & ſub lingua ad perpetuam eliquationem habenda ſunt. Gummi etiam cum planta porri, & ſpinæ lachryma proſunt. Variorum ſane medicamentorum infinita eſt experientia, varii etiam uſus: ut paſtilli ex Ægyptia ſpina, & paſtilli ex Electro, & ejus, qui Croceus appellatur, quorum apparatus proprio loco expoſitus eſt.

Porro cum febris abeſt; omnia in medicamentis audenda ſunt, & multa, & multoties exhibendo. Si febre vexantur, (plerumque autem corporum inflammationibus febres ſuperveniunt,) neque affatim eruptio ſupprimenda eſt, neque in acceſſionibus medicamenta potui danda: quoniam multi celerius febre, quam ſanguinis effuſione conſumuntur.

Alimenta varia ſunto, ſpecieque medicamentis ſimilia, quin etiam in cibis medicamenta repe-

Digitized by Google

riuntur, neque enim in uno duntaxat cibo omnia alimenti bona invenire facile eſt. Atqui ſi non unus cibus ad medicationem ſufficit, non uno propterea uti ob ſatietatem facile eſt, ſed per varia eundum: jam enim diuturna valetudo facta eſt. Itaque adſtringentia ſint alimenta, & facultate refrigerantia, & ad tactum quoque frigida eſſe debent, calor enim ſanguinem prolicit. Alica lota, oryza in poſca: ſin acetum tuſſim exaſperat, palmularum decoctum: panis affus, præaridus, contuſus, atque in farinæ ſpeciem redactus, & cribratus: atque ex his omnibus cum oleo ſorbitio fiat; item thymbra ſale condita, & rhus cibis aſpergatur. Quod ſi aliqua in re ægrotanti morem gerere placeat, coriandrum, ſi gratum ſit, delectationis cauſa concedito: aut aliquod ex ſeminibus urinam moventibus, facilemque ſpirationem reddentibus, lens utique ſi profluvium ſanguinis urgeat, cum plantaginis ſucco præbeatur: ſi non urgeat, a ſucco abſtineto: quippe qui nec concoctu facilis, neque guſtatui jucundus eſt, iſtis vero minime omnium ægre concoctilia danda ſunt.

At ſi ob ſanguinis effuſionem mortem inſtare verearis, tunc injucunda concoctu difficilia, quin etiam immania ſint licet, ea quæ ſalutem afferunt dato; propterea galla arida trita lenti ſiccæ, & frigidæ adſpergatur: ova coquendo craſſiora effecta cum mali punici corio, aut galla exhibeto; tale utique neceſſario in medicamine alimentum eſt. Potus omnino parciſſimus eſto: nam ſicco victui humor inutilis eſt. Hæc nimirum adhibenda ſunt, ſi adſtringere ac refrigerare ſtatueris; ſi vero ſanguinem ad ſpiritum craſſiorem efficere, lac amylum, & alica proſunt: modo cum amylo, modo cum alica lac miſceto, tali

Digitized by Google

temperatura, ut ne sic, liquida sorbitio ad concretionem perveniat. Cæterum si adhuc magis crassare adstringereque cupias; alicam cum palmulis decoquito; ad spissandum autem amylum lacque optima fuerint, & far tyrrhenum cum lacte, crassum cum sit, viscidum, & glutinosum. Hœdi vero coagulum in decocta liquida causa concretionis affundito: sicut in lac quoque, ut ad recentis casei temperaturam deveniat, his crassius est milium, ut far, in lacte decoctum, inspergantur autem galla, & malicorium. Verum exsiccantium, aut crassantium mediocritates conjectura assequi oportet: id genus namque tussim movent. Siccitatis quoque excellentia nonnullis & venas laceravit.

Si bene cedit curatio, sanguisque compescitur, in contraria paulatim adjiciendo fiat mutatio: atque, (ut dici solet,) ne quid nimis; hujusmodi enim vitia facile reverti solent, ac maligno ingenio prædita sunt. Jam vero hominem instaurare, carneque replere, & novas cicatrices solidare necesse est gestationibus, mollibus frictionibus, peregrinationibus, animi oblectamentis, cibis variis atque usitatis. Hæc utique facienda sunt, si a sanguinis exitu vulnus coaluit, & congruenter locus sanatus est, sin ulcus relinquitur, purulentumque fit, altera deliberatione opus est; siquidem & iterum profusio sanguinis redit, verum de hoc affectu in sermone de diuturnis morbis disputabimus.

De Curatione Cardiacorum, aut Syncopæ. Cap. III.

In Syncopa medicum providentiæ sedulo navare operam necesse est: futuram enim si pro-

ſpexeris, & præſentia tibi feſtinanter opem ferent, & ipſam ante, quam invadat, propulſabis; præſentem vero non facile evadunt ægrotantes. Solutionem namque naturæ Syncopam eſſe diximus. Inſtaurabilis autem non eſt diſſoluta natura. Hanc igitur maxime quidem futuram arcece, ſin minus, ſaltem nuper incipienti reſiſtere debemus: præſcienda vero ea ſunt, quæ de acutis morbis diſſeruimus, quando & cauſas, & ſigna explicavimus.

Nam febris ardens initium eſt: febrem ardentem ſigna peſſima conſequuntur, ariditas, vigilia, caliditas viſcerum, qualis ab igne provenit: extimæ partes frigent: manus pedeſque extremi frigidiſſimi ſunt, reſpiratio in attrahendo longa eſt; ſiquidem frigidi aëris, quoniam ignem exſpirant, avidi ſunt; arteriæ motibus exiguis, creberrimis, tremuliſque agitantur.

Ab his itaque ſumpta conjectura, & ab aliis, quotquot a me inter ſigna comprehenſa ſunt, ipſis ab initio ſyncopæ occurrendum eſt. Quapropter niſi hæc omnia impediant, habitus, ætas, anni tempus, hominis timiditas, vena cædenda eſt. Quod ſi multa prohibeant, quæ numerum inſignem, & magni faciendum conſtituant, utpote lingua aſpera, & ſicca, & nigra, (omnia enim interiora ſigna noſcuntur) in omnibus facultas perpendenda eſt, niſi prius morbo, doloribus, inedia labefactata ſit; ſiquidem non defectu tantum, verum etiam ſtrangulatu proſternitur. At ubi præ multitudine ſyncopa ſit, & inflammatio aliqua inſignis in præcordiis, aut jecinore apparet; nequaquam procraſtinare expedit. Secanda eſt igitur vena cava in cubito: per minutas ſectiones, id eſt ſcarificationem etiam, ſanguis detrahendus eſt, quo facultas haud ita in-

Digitized by Google

ſignem jacturam faciat: copioſum enim ac ſubitum naturam vitiat, quin etiam multo minus ſanguinis, quam in aliis occaſionibus, hauriendum eſt, nam in ſyncopa ſi vel minimum erroris committitur, ad interitum ducit. Protinus igitur ad vires inſtaurandas alimentum dare convenit. Natura enim priorum repulſa: & novorum adjectione lætatur.

Utique ſi miſſionem ſanguinis facultas non ſuſtinet, inflammationeſque infeſtant, cucurbitula tunc multo ante morbi judicationem ei admovenda eſt, in judicatoriis enim diebus ſyncopa incidere ſolet; in iiſdem vero circuitibus, & naturæ judicant, & morbi interimunt. Si vini potandi neceſſitas homini incidit, diligente conſideratione opus eſt, neque enim uſque adeo tuta eſt in inflammationibus vini potio, ſiquidem vini potio inflammatione laborantibus dolores auget, inflammatione vacantibus naturæ incrementum affert: ſed ante quam ſemel, aut iterum cucurbitulam affixiſti, & ad membra relaxanda, & ad ſanguinis facilem exitum, utilis eſt: nonnullis, & poſt cucurbitulæ ſecundam affixionem benefecit. Hoc vero in caſu, & parſimonia utendum eſt, nam & in cucurbitulæ uſu nimiæ ſanguinis effuſionis idem periculum adimus: evacuationibus autem per clyſterem duntaxat, ad inveterata ſtercora ejicienda opus eſt, ſed facultatis rationem habeto.

Capitis irrigationes frigidæ, quotquot mihi in ſermone de phrenitide relatæ ſunt, paulum mediocritatem excedentes adhibeantur. Aër mundus, ad inſpirandumque frigidior deligendus. Viſus plantarum, picturæ, aquarumque adſpectu oblectandus, & hæc omnia jucunde ſuaviterque intuenda, amicorum præſentium locutiones ſint

joculares atque ridiculæ. Summa sit in ægrotantis corpore quies, in animo hilaritas, odoramenta suavia, quæ capitis sensum non gravent, adhibenda; quin etiam grati odoris alimenta naribus offerantur, qualis polenta est aqua aut aceto respersa, aut panis calidus recentissime coctus. Nempe vino haud copiose os colluatur, neque prorsus, denegetur. Potum frequentiorem, quam aliis & magis assidue his concedito.

Esca per totum diem sit levis, concoctilis, plerumque triticea, nec non ægrotanti jucunda, licet paulo deterior: istis enim magis, quam aliis gratificandum est: quandoquidem haud minime ad stomachi resolutionem id morbi genus aptum est. Inedia vero aut fames nequaquam prodest: satis enim morbus ipse omnia consumere, & exhaurire potest.

Porro cum jam circuitus ad judicationem pervenit, humiditas vero jugulum frontemque irrorat, extrema algent, arteriarum pulsatus minimus est, frequentissimus veluti repens, ac tenore debilis; tum paulum quid alimenti triticei sumendum, vinumque evidenter degustandum est. Sed caput irrigationibus præmunire oportet pariter & vesicam. Hæc vero auxilia in tractatu de phrenitide a nobis memorata sunt. Vinum utique non pleno ore, neque ad saturitatem usque ingurgitandum est.

Aliqui sane importune repleti, postea inappetentia, atque cibi potusque accipiendi impotentia vita excessere: multis autem satis large vescentibus, natura jam resoluta ad mortem evitandam alimentorum copia nihil profuit; in ventriculum quidem cibis delabentibus, sed ad recreandas vires a ventre non adscendentibus. Alimenti sane varia sint oportet, plerumque triticea,

quo

Digitized by Google

quo ſorberi potius, quam mandi apta ſint: ſi ſolida ſunt, lubrica ſaltem efficiantur. Ova neque valde concreta, neque torrefacta ſint, ſed omnino ſoliditatis expertia. Panis buccellæ vino madentes, & calefactæ duæ treſve initio præbeantur. Poſt autem omnia frigida miniſtrentur, niſi forſan interius phlegmonæ deliteſcant. Vinum odoratum, haud ita multum adſtringens, quam minime craſſum deligatur, ex Græcis Chium, aut Lesbium, & quotquot alia inſulana tenuis ſunt temperaturæ: ex Italicis autem Surrentinum, aut Fundanum, aut Falernum, aut Signinum, niſi vehementer adſtringat: atque ex his omnibus illud vitandum eſt, quod pervetuſtum, aut valde novum ſit. Nempe detur primo calidum non minus cyathis quatuor ante indicationem, neque plus cotyla, ſive hemina, quamvis bibax homo ſit; deinceps cibo exhibito, ſi inflammatio permiſerit, iterum frigidum vinum, quod ſiti medeatur, propinandum. At ſi neceſſitas urgeat, vino non ſolo, ſed cum cibo utendum eſt, verum ne mentem vinum lædat, cibus ante ſumendus eſt: & poſt hæc abſtinendum. Si poſt aliquod temporis intervallum dormire velit, quies concedenda eſt. Verum ſi multus ſudor emanet, arteriæ jam micare deſinant, vox acutior reddatur, & pectus calore deſtituatur; vini quantum potare poſſit, concedendum, in ſolo enim vino refrigeratis ſpes vitæ poſita eſt. Vinum itaque ſit uſitatum, & modo id ægrotus tantum bibat, modo cibum cum vino aſſumat, id autem per intervalla fiat ad tollendam laſſitudinem, quæ tum ex morbo, tum ex cibo provenit, nam qui exiguas vires habent, & poſt aſſumptum cibum valde laborant.

Igitur & ipſum decet forti eſſe bonoque animo, & medicum ſuavi oratione eum ab bonam

Digitized by Google

ſpem cohortari, varioque alimento, & vino opitulari: nec non & alia efficaci medela uti opus eſt, & ad ſudores coercendos, & ad vires inſtaurandas, ut pene extinctæ reviviſcant. Quapropter pectoris ſiniſtræ mammæ palmulæ in vino maceratæ cum aloe, & maſtiche ſuperdentur; ceratum vero cum nardo factum iſta excipiat; quod ſi iſtud durum ſiccumque fiat, aliud epithema imponendum: mala cotonea extracto ſemine, & quicquid durum eſt, contuſa polentæ odoratæ admiſceto: poſtmodum abſinthii, & myrti comam, acaciam quoque, & mannam cribratas permiſceto, ſimulque omnia ſubacta œnanthino cerato excipito. Si per hæc ſudor non ſupprimatur, uvæ acerbæ ſuccus miſcelæ addendus eſt: ſuccus igitur iſte, quem Græci omphacion vocant, cum maxime acerbus eſt, & acacia, & gummi, & rhus eſculentus, & alumen, & palmulæ, & roſarum ſuccus bene olens, ſimul omnia cum nardo, & labruſcæ pinguiori parte pectoris ſuperponantur, hujuſmodi namque epithema juxta refrigerat, & adſtringit.

Decumbat vero æger in aëre frigido, aut & ad urſam domus vergat, at ſi & frigida boreæ aura afflabit, male ſpirantem animum excitabit. Moretur autem & prope virentia prata, fonteſque, & obſtrepentes rivos: nam & ab his emanans bonus halitus, & mentis delectatio, animam fovet, & naturam ſuſcitat, vitæque reſtituit; quin etiam cibi potioniſque deſiderium laceſſit. Cæterum ſi quis ob inopiam hæc aſſequi nequeat; imitari oportet & auram frigidam ramorum bene olentium voluptariis flabeliis, & tempus vernum foliis ac floribus præſentibus humum ſternentes. Operimentum quoque leve ſit, & obſoletum, ut aërem quidem accipiat, calorem autem pecto-

Digitized by Google

ris exhalare permittat, optimum vero est vetus linteum. Cervices quidem, & jugula, & pectus polenta conspergito; ut odoris suavitate enutriat, siccitate coerceat, item & polline quidem corporis raras partes contegito: nec non, & faciem terra Samia lineo sacculo cribrata, & raro linteolo inclusa respergito, ut minutissimus pulvis in frontem, & malas excutiatur: calx praeterea extincta, & gypsum exustum per lineum parvum sacculum, quem Graeci Criseram vocant, transmissa sudore madentibus injiciantur. Compressit sudores nonnunquam & spongia ex frigida faciei admota: dilabentes enim humores coguntur, & cutis raritas conspissatur. Prodest etiam sedem inungere: ut frigidus flatus & ab alimento exortus effundatur. Item revocandus excitandusque est extremorum calor illitu gleucini olei, aut sicyonii, quod ex agresti cucumere efficitur, cum pipere, castoreo, nitro, & cachry: modicum ceræ in eis eliquando, ut inunctio membris inhæreſcat. Illitio quoque ex adarce (limnestida vocant) euphorbio, & lauri bacca calorem exsuscitat: pariter & bulbi crudi, illi inquam, qui exigui, & rubri sunt, cum pipere, & aceti fece levigata valentissimum pedibus cataplasma imponitur: sed intra horae spatium illud frequentissime auferendum est: instat enim periculum ulceris, & vesicarum.

Porro ab his spes affulget ita ægrotantem perniciem, evasurum: quod si omnia secundum rationem medicus praestet recteque omnia cedant, cum syncopa, si inflammationes quoque adsint, discutiuntur: sudor nusquam effluit; calor in quamlibet corporis partem ad extremos usque pedes, & summas nares diffusus revivisit; facies vegeto colore decoratur, pulsatus in magnitudinem efferuntur,

Digitized by Google

nihil tremuli, ſed vehementes: vox autem conſueta revertitur, & canora eſt; ipſeque prorſus vividus efficitur, laſſitudinem quidem haud exiguam percipit, verum dormire etiam conſpicitur, atqui ſi ipſum ſomnus occupaverit, cibaria plane concocta erunt, ſenſus mali obliterabitur, naturæque vis egerminabit, & revireſcet; cumque a ſomno expergiſcitur, bene ſpirat, levis eſt, expeditus, & robuſtus: revocat autem in memoriam morbum ceu quoddam ſomnium.

At nonnulli ſunt, quibus febres obſcuræ, tanquam reliquiæ morbi remanent, nonnunquam, & inflammationes modicæ, & lingua arida, & ſudoris privatio, præterea rigent, torpent, diſſolvuntur: hi ſane in tabem prolabuntur. Tunc vero tempus terendum non eſt quiete, & victu tenui: ſed ad motiones æger traducendus per geſtationes, frictiones, & lavacra, quo vitæ reſiduum a morte vindicetur, augeatur, ac recreetur. Propinandum vero eſt etiam lac maxime mulieris quæ proxime peperit, puerumque nutrit: hi namque alimento, ut nuper in lucem editi pueri, egent: ſi lactis humani copia non datur, aſinæ, quæ non pridem peperit, lac accipito: tenue enim ac fluxile hujuſmodi lac. Poſt hæc ad reſumptionem, & ad conſueta æger ducendus eſt.

Curatio Choleræ. Cap. IV.

IN Cholera, eorum quæ ejiciuntur ſuppreſſio mala eſt: cruda enim ſunt, quare nos oportet ea facile ſponteque exeuntia libenter permittere: ſi non exeant, incitare, aquam tepidam ſorbitioni dantes, aſſidue quidem, ſed paucam, ne ten-

Digitized by Google

ſiones inanes id ſtomacho fiant convulſioni ſimiles. Si torquentur inteſtina, & pedes frigeſcunt, irriganda eſt alvus calido unguine, in quo ruta, cuminumque incocta ſint; ut flatus digerantur diſſipenturque: lana quoque imponenda eſt, & pedes inungendo molliter fricare oportet, contrectando magis, quam premendo; ſed genubus tenus hæc fiant, ut caliditas, quæ abierat, revocetur. Hæc vero tantiſper facienda ſunt, donec ſtercora per inferiora dejiciantur, & ſuperius bilioſa efferantur. Sin autem omnia antiqua ſtercora dejecta fuerint, & bilioſi humores tranſierint, bilioſuſque vomitus, & diſtentio adſint, faſtidium, anxietas, virium labefactio; tunc frigidæ aquæ cyathi duo, aut tres propinandi ſunt ad ventris adſtrictionem, ut retrogadus humorum curſus cohibeatur, utque ſtomachus ardens refrigeretur: aſſidue vero id, cum potam aquam vomuerit, facito: facile quidem frigida in ventre incaleſcit; verum eam ſtomachus evomit a calido pariter ac frigido dolore affectus, ſemper autem frigidum potum expetit.

Porro ſi arteriarum motus ad parvitatem lapſi fuerint, nec non aſſidue, & frequenter micent arteriæ, ſudor circa frontem, & jugula & qualibet corporis parte ſtillatim effluat, alvi profluvium non ſiſtatur, & ventriculus adhuc evomat cum diſtentione, & animi deliquio; parum vini odorati, & adſtringentis, aquæ frigidæ infundendum eſt: ut pro odore ſenſus excitetur, ob ejuſque potentiam roboretur, & corpus ob nutricationem recreetur: vinum enim celeriter ſurſum petit, ut retrogradum humorum fluxum coerceat: tenue vero oportet eſſe, ut facile diffuſum naturæ ad ſanitatem recuperandum opem ferat; validum quoque, ut vires dilabentes fulciat, atque

Digitized by Google

ſubſtineat. Inſpergenda eſt etiam nonnunquam recens, & bene olens polenta.

Verum enim vero ſi omnia urgeant, ſudor, & tenſio non ſtomachi modo, ſed etiam nervorum, ſingultus inanis, & pedes contendantur, & alvus multa excernat, & homo caliget, & pulſatus arteriarum ad immobilitatem vergant; tunc hujuſmodi ægroti ſtatum prævertere opus. Quod ſi jam adſit; frigidæ ac vini multum præbendum eſt, & nequaquam meracius, ne fiat ebrius, ac ne lædantur nervi; ſed cum cibo, & panis buccellis madefactis. Præbere quoque aliam eſcam convenit, qualis a me in capite de ſyncopa tradita eſt, item fructus mollioris corticis, Oporam Græci vocant, adſtringentes, ſorba, meſpila, mala cydonia, uvam.

Cæterum ſi omnia evomit, & ſtomachus nihil retinet; ad calidas potiones, & cibaria recurrendum: nonnullis enim hæc mutatio vomitionem compeſcit: calida vero calidiſſima ſunto. Sin horum auxiliorum nullum proficit, cucurbitula inter ſcapulas affigenda eſt, atque infra umbilicum, verum aſſidue cucurbitulæ mutandæ ſunt: nam ſi diutius permaneant, dolorem cient; periculumque eſt, ne veſiculas excitent. Prodeſt interdum & auræ motus ſuavis: ut & ſpiritus reviviſcat, & cibus in ventriculo remoretur, utque melius ægrotus ſpiret, meliuſque arteriæ micent.

At ſi hæc in pejus labantur, ventri, pectoris que talia imponenda ſunt, qualia, & ad ſyncopam ſupra memoravimus; palmulæ vino madefactæ, acacia, hypocyſtis, hæc roſeo cerato excepta, linteoloque illita ventri imponito: pectori autem maſtichen, aloem, abſinthii comam tritam cum cerato nardino ſuperdato, aut œnanthem toti pectori inſpergito. Pedes vero, & muſculos, ſi con-

Digitized by Google

vellantur, ſicyonio, gleucino, aut veteri oleo cum exigua cera perungito, caſtoreo quoque reſpergito. Porro ſi frigidi etiam pedes ſint; unguine ex adarce, & euphorbio inungito, & lanis obvolvito, & manuum palpatione foveto, quin etiam dorſi ſpinam, tendones, & muſculos, nec non, & maxillas iiſdem inungere expedit. Quod ſi poſt hæc ſudor, & venter ſuppreſſi fuerint, & ſtomachus cibos admittat, neque evomat, pulſus magni, & validi ſint, & convulſio deſinat, ſed calor ubique increſcat, & extrema infeſtet, ſomnus vero omnia concoquat, ſecundo die aut tertio (*a*) ſolvendus eſt æger, & ad conſueta mittendus.

At contra ſi omnia vomitu rejiciat, ſudor perennis effluat, frigeat laborans, & lividus fiat, pulſus etiam prope extincti ſint, & vires cadant; cum ita inquam ſe habuerint, inde honeſtam fugam capeſſere bonum eſt.

Curatio Volvuli. Cap. V.

IN Volvulo dolor eſt perimens ob inteſtinorum phlegmonem: diſtentio adeſt, & inflatio, & celerrima ac citiſſima pernicies impendet; nonnulli enim deſparata ſalute ægrotantes mortem evidentem tantummodo formidant; aliqui vero in volvulo ob cruciatus acerbitatem mortem expetunt, quo circa neque remedium ullum morbo inferius, neque debilius a medico adhiberi opus eſt.

Verum ſi morbi cauſam inflammationem eſſe invenerit, venam in cubito magna ſectione aperiat:

(*a*) *Aliter lavandus.*

Digitized by Google

quo multus ſubito ſanguis inflammationis alimentum, vel uſque ad animæ deliquium effundatur. Etenim hoc vel ſedandi doloris, vel ſtuporis ac ſenſus privationis initium eſt. In volvulo autem recreatio eſt, ac reſpiratio, vel ad breve tempus (licet præ ignorantia) tormenti dilatio, quandoquidem hominibus ita viventibus mori beatum eſt. Medico autem cuiquam mortem inferre nefas ducitur. Sed fas eſt interdum, cum præſentia mala evadi non poſſe manifeſte provideat, gravitate capitis torpida ægrotum ſopire.

Sin abſque inflammatione ob corruptionem, aut ingens frigus volvulus provenerit, venæ ſectio dimittenda eſt: reliqua autem omnia facienda. Conſulendum eſt igitur, ut a potu aquæ tepidæ frequenter evomat, oleum bibat, deinde rurſum evomat, flatus inferius irritamentis educendi: irritatoria quidem ſunt cyclamini ſuccus & nitrum, aut ſal; flatus autem evocant cuminum, & ruta. Igitur his omnibus cum reſina terebinthi ſedem oblinere oportet, & ſpongiis fovere, aut hæc per clyſteres infundere cum oleo, melle, & hyſſopo, & cucurbitulæ ſylveſtris carnis decocto.

Quod ſi fercus excretum ſit, iterum oleum calidum cum ruta injiciendum: id enim ſi intus moretur, fomentum inteſtinis propitium eſt, præterea dolentes locos oleo, in quo ruta, & anethum abunde incocta ſint, perfundere conducit. Adhibeantur & fotus ex lentibus figulorum aut fabrorum ferrariorum, ut ex milio & ſale uſtulatis. Cataplaſmata vero præter vulgata ſunto lolii farina, & cuminum, & hyſſopi aut origani coma. Cucurbitulæ quoque leves quidem, ſed frequentes, aliæ juxta alias abdomini, & ilibus ad inguina uſque admoveantur: quin & a

Digitized by Google

tergo coxendicibus ad renes uſque, & dorſum: ubique enim quiſque omnia dolorem levantia faciens juvat. Præbibat autem cumini, aut rutæ decoctum, & ſinonis, aut una cum his aliquod ex anodynis appellatis medicamentis: infinita autem alia ab aliis probata experimento inventa ſunt. Bonum vero eſt & ex viperis medicamentum plus conſueta portione potui datum.

Cæterum ſi neque dolor remittitur, neque flatus, neque ſtercus dejicitur: purgatorium pharmacum, quod hieram vocant, neceſſario dandum eſt: aut enim ſimul cum pituita, & bile pharmacum vomitu expellitur, aut deſcendit; flatum, dura ſtercora, pituitam, bilem ipſius mali fomenta ſecum educens. Alimenta exhibeantur alvum ducendi vim habentia, juſcula gallinarum, oſtreorum inſigni pulchritudine præditorum, hordei cremor cum multo oleo decoctus, quod a principio ante decoctionem infuſum ſit; habeat vero cuminum, nitrum, porrum cum coma. Aut medela adhibeatur cum aliquo jure ventrem ſubducente, cochleæ valde elixæ, & ipſarum ſuccus. Tellinæ aqua potui detur (ſi febricitet) cum aſaro, aut nardo, aut cachry excocta; nam hæc flatus eliciunt, urinam cient, & ſpirandi poteſtatem facilem reddunt.

At ſi (*a*) dolor abſit; & vinum bene facit, ut inteſtina calefiant, utque vires labantes confirmentur, etiam fœniculi radicis decoctum, ſi bibatur, & adiantum, & cinamomum.

Sin ad abſceſſum inflammatio convertatur; huic opem ferre ſatius fuerit medicamentis abſceſſui convenientibus utentem, ea vero in libris de

(*a*) *Aliter febris.*

Digitized by Google

morbis descripta sunt, ubi colici affectus sanatio traditur.

Curatio Acutorum Jecoris vitiorum. Cap. VI.

IN jecore sanguinis creatio est, & in totum sanguinis a jecore emanatio; ac omnino jecur est veluti sanguinis gelatus: ideo phlegmonæ hoc loco acutissimæ fiunt: hac enim in parte alimentum residet. Sin uspiam alibi phlegmone constiterit; non usque adeo acuta est: advena est enim sanguinis accursus; in jecur autem non opus est aliunde effluere: nam si obstructio aliqua exitus occludat, jecur effusione privatum repletur abundatque sanguine, alimenti vero ad jecur transitus adhuc patet: aliud est enim iter alimenti a ventriculo, & intestinis, in omne corpus.

Quocirca evacuare facile oportet, venam cubiti secando: multum quidem sanguinis, sed non semel totum detrahendo. Inedia primum imperanda est, postea cibi paucitas, ut & medicamentis ingredientibus jecur inane pateat. Insuper medicamentis exterius appositis, quæ in jecore acervata sunt. discutere oportet: igitur illinatur aloe, aut nitro; lanæ œsypo sordentes admoveantur. Refrigeratione quoque opus est: jecur enim sanguine accenditur: nam sanguis calidus est. Hujusmodi ergo cataplasmata sunto; accipiatur farina loliacea, aut irionis, aut hordei, & seminis lini, ex humoribus autem vinum acidum, cydoniorum succus & capreolorum vitis, & labrūscæ maturæ, aut oleum cum ea. Item cum spongiis fomentum fiat ex decocto baccarum lauri, lentisci, pulegii, iridis. Per ista mitigato morbo cucurbitula ma-

Digitized by Google

jor applicetur, ut ex omni parte hypocondrio circumdetur: atque altius concidenda cutis, ut multum ſanguinis effundatur. Nonnullis autem hirudines, quam ſcarificationes, magis placent, nam ejus beſtiolæ morſus altius penetrat: verum eroſiones quoque majores facit: unde & ſanguinis effluvium ægre ſupprimitur, cumque ſanguinis potu ſaturata hirudo ceciderit, cucurbitula eſt applicanda: ab intimis enim partibus tunc attrahit. Quod ſi ſatis evacuatum ſit: vulnera medicamentis ſanguinem coercentibus morſuque carentibus obtegenda ſint, ut aranearum telis, manna aloeque inſpergenda: panis cum ruta, aut ſertula, aut althææ radicibus elixus ſuperdandus, tertio vero die ceratum cum myrobalano, aut abſinthii coma, & iride convenit. Quin etiam, & malagmata vocata medicamenta talia eſſe debent, ut extenuare, aut rarefacere, aut urinam ciere valeant, optimum ſane eſt medicamentum ex ſeminibus conſtans, quorum omnibus medicis experientia perſpecta eſt, bonum eſt & illud, in quo aut ſampſucus, aut ſertula ponitur.

Cibi tenues ſunto, labiles, lotium moventes, penetrabiles: alica cum mulſa, & ſorbitio ex ea cum ſale, & anetho. Hordei vero cremor, & detergendi facultatem habet: at ſi & dauci ſeminum non nihil addatur, ad urinam laceſſendam præſtantior eſt: ſubducit enim per alveolos, qui a jecore in renes pertinent: opportunus vero eſt a jecore effluentibus illuc tranſitus, & vaſorum laxitate, & itineris rectitudine. Idcirco & cucurbitulis ea nos trahere oportet eo loco, ubi renes ſunt, ſecundum os coxendicis applicantes. Cæterum, & hi unguine cum ruta, aut odorato junco, aut calamo aromatico irrigandi ſunt:

Digitized by Google

per hæc utique ægrotum poſſe mortem effugere ſperandum eſt.

Sin ad ſuppurationem convertatur; pus moventibus medicamentis utitor, quotquot a me in ſermone de coliois literis prodentur. Cum pus autem jam genitum fuerit, quo modo incidendum, quomodoque medendum ſit, alio loco ſcriptis mandabimus. Eadem nobis, & de ſplene ſcripta ſunto: ſi quando, & inflammationis acutæ calamitas eum invaſerit.

Curatio acuti morbi dorſalis Venæ, & Arteriæ. Cap. VII.

VEnæ concavæ, craſſæque arteriæ, quæ ſecundum dorſum extenduntur, inflammationem cauſi ſpeciem majores noſtri appellaverunt, nam, ardoribus ſimiles affectus in ambabus oriuntur: ignis acutus, & acer, faſtidium, ſitis, anxietas, pulſus palpitans in præcordiis, & in averſa parte, quam Græci Metaphrenon vocant, & quotcunque a me in volumine de ſignis relata ſunt. Nempe, & in ſyncopam tendit ignis, quemadmodum & in ardoribus: ſiquidem venæ radicatio (ut ita dicam) jecur eſt: arteriæ vero principium cor, haud ab re igitur exiſtimes eorum viſcerum ſupremas partes maxime ad vitam facientes ægrotare. Etenim cor arteriæ calorem impertit, venæ autem ſanguinem jecur infundit. Amborum vero magnorum viſcerum magna ſunt germina, ipſæ videlicet phlegmonæ.

Venas itaque in cubito protinus cædito, multumque ſanguinis, ſed non ſemel totum mittito, imo & bis, & ter, & alio die, quo interim vires inſtaurentur, repetito. Deinceps cataplaſma-

Digitized by Google

tis utitor, & cucurbitulam præcordiis, ubi eſt arteriæ tranſitio, nec non, & inter ſcapulas, nam ibi quoque pulſationes ſunt, affigito, liberiuſque ſcarificato, & multum ſanguinis detrahito: haud enim ita facile ex horum vaſorum inanitione in animæ defectum homines cadunt. Verum & alvus præter conſuetudinem valde ſuppreſſa ad lubricitatem per clyſterum molliores infuſiones eſt revocanda; acribus autem minime utitor: nam hi ægri facile in febrim incidunt a muria, & nitri liquatione: ideo lini ſeminis, & fœni græci ſuccus eſto; & radicum malvæ decoctum ad provocandum, & ad mordendum ſatis eſt. Extremas partes, pedes videlicet, & manus gleucino oleo, aut ſicyonio, aut ex adarce unguine excalefacito: nam partes iſtæ in iſtis ægris valde frigeſcunt.

Præterea ante cibos potui dato, quæ lotium evocant; meon, aſarum, abſinthium, nitrum quoque inſpergito, ſed omnium valentiſſima eſt cucurbita, & cinnamomum, ſi quis ejus copiam habeat. Lac iſtis, & alimenti, & medicinæ vim præbet: etenim refrigeratione indigent, cum in eorum viſceribus veluti quidam ignis exæſtuet, & dulci alimento, nec non & multo in parva mole; has nimirum virtutes alimenti lac obtinet: eſto autem mulieris, quæ proxime peperit: & duobus lactis cyathis unus aquæ admiſceatur; lac etiam bubulum optimum eſt: tertio loco caprinum ponitur. Cibaria concoctu facilia præbeantur, plerique ſucci, fœniculi radix, & apii ſemen: indatur, & mel: aqua vero, quæ bibitur, iſta habeto.

Oportet etiam ſudores elicere, & ubique diſflationes humidas, & fluxas facere. Caput ſicut in ardentibus febribus irrigetur. Epithema pectori, & ſiniſtræ mammæ, quale in ſyncopa, ſuper-

Digitized by Google

detur. Cubile rectus decubitus: ut omnia his similia sint, quæ in ardentibus febribus fiunt. Exercitatio modica ad sudores evocandos, nec non & balneum, si iste interius exardescit, neque enim judicationibus hujusmodi vitia solvuntur, & si causis species sunt.

Curatio Nephritidis. Cap. VIII.

PEracuta sane in renibus inflammatio exoritur; simul enim inflammantur a jecore in renes discurrentes venæ, cum illis autem & jecur: cum haud valde latæ ita præ longæ sint, sed valde latæ adeo, ut renes proximi jecori suspensi esse videantur. Verum & urinæ retentio inflammationi supervenit, vehementiam inflammationis adaugens: nam renum cava lotii non exeuntis alluvione replentur. Porro idem & in calculis evenit, si in renibus calculus urinæ canalium laxitate major oriatur, qui non egrediens inhæresit, atque sic & ipse urinam intercludit. Cæterum de calculorum creatione in libro de longis morbis sermonem habebimus, quomodo aut ne coalescant, aut jam concreti exterantur, comminuanturque. De calore autem atque obstructione, quæcunque celeriter enecant, in præsentia differemus.

Si calculi jam conflati sunt, adestque inflammatio, venam cubiti, nisi ætas præpediat, secato: bene fluidus autem multusque sanguis exeat, neque enim phlegmonæ tantum evacuatione mitigantur, sed etiam calculorum intrusiones vasorum inanitione laxantur; quin etiam per mictum calculi elabuntur. Postmodum irrigationibus gleucini aut cyprini olei, fomentis, & cataplasmatis particulæ remittuntur. Artemisia vero herba, & juncus & calamus aromaticus in cataplasmatis esto.

Digitized by Google

Deinde cucurbitulam renibus in regione coxendicis adhibeto, maxime namque ab ea parte evacuatio profuit. Alvus præterea ducatur per clysteres cum lubricis, & viscidis potius, quam acribus, ex malvæ, aut fœni græci cremoribus, nonnunquam vero medicamenta ante cibos urinam citantia dentur, qualia in vitiis jecoris narrata sunt: pariter & cibaria similia concoctu facilia, cruditas enim istis noxam affert. Optimum sane lac est, maxime quidem asinæ, secundo equinum, ovillum autem, & caprinum confert, quatenus lac est. Si pauperes ægroti sint, os lavare satius est: sin minus, in decocto herbarum desidant umbilico tenus folio repleto.

Verum si ad pus vergat, quibus cataplasmatis ac medicamentis utendum sit, multis in locis superius traditum est.

At si calculus institerit, fomentis utique, & cataplasmatis iisdem uti oportet. Calculi vero medicamentis potabilibus conterendi sunt, simplicibus quidem sio, & prionite (asplenium puto) herbis cum oleo, aut aceto esculento decoctis; earum quoque succo potui dato: compositis autem ea antidoto, quæ Bestinas appellatur, & ea, quæ ex viperis constat, & bestia, quæ Coscinos id est Cribrum dicitur, & quotcunque experientia optima esse comprobavit.

Gestationes istis, & corporis concussiones ad movendum propellendumque calculum bene faciunt: nam calculorum in vesicam transitus ingentes dolores concitat. Quod si inde exciderint, dolor tollitur, ut neque per somnium dolorem sentire sibi videri soleant, quin etiam tanquam ex inevitabilibus malis animus perterritus solvitur.

Digitized by Google

Curatio acutorum Veſicæ affectuum. Cap. IX.

ET Veſicæ acuta vitia renalibus ſimilia proveniunt; phlegmone, & ulcera, & lapides, & grumorum obſtructiones, a quibus urinæ ſuppreſſio, & ſtillicidium exoritur, ſed in hoc membro acutior dolor eſt, interituſque celerrimus: veſica enim nervus latus eſt. At renes veluti concrementum ſanguinis jecoris ſpeciem habent: in quibus & graviſſimi, & maxime miſerabiles morbi incidunt: unde mors cum maximis cruciatibus miſeris mortalibus ingruit.

Protinus igitur ventris ea pars laxa, quam Ceneona Græci vocant, ſecanda eſt; multoque oleo cum ruta, & anetho veſica eſt irriganda. Si concretus ſanguis doloris, impeditæque urinæ author ſit; oxymel bibere debet; aut calcis parum cum mulſa, quo grumi diſſolvantur: deinde quæ urinam movent, & herbæ, & ſemina exhibenda.

Sin ex ſanguinis effuſione periculum inſtet, abſque ulla cunctatione ei magis, quam cæteris ſubveniendum: neque enim id leve diſcrimen eſt. Nempe medicamina ſanguinem coercentia opem ferunt: opem fert autem veſicæ refrigeratio, ex roſaceo, & vino irrigatio, & cum lanis ſuccidis obvolutio. Epithema bonum eſt, palmulæ ex vino cum malo punico, aut ſucco rhois. Verum ſi averſatur epithemata gravia, & vehementes refrigerationes, (cavendum eſt enim veſica natura frigida tenuiſque, ne ita multum refrigeretur) eam gleucino illinito, aut acacia, aut hypociſtide ex vino. A ſpongiis vero, niſi valde urgeat ſanguinis eruptio, abſtineto.

Eſcæ

Digitized by Google

Escæ triticeæ coctu faciles, bonum succum gignentes, lotiumque educentes præbeantur, quales a me in capite de renibus comprehensæ sunt, lac, vinum dulce Theræum, aut Scybellite. Medicamenta potabilia sunto, urinaria, bene olentia: fluxilia, & id genus alia. Utilissimum utique vesicæ remedium cicadæ sunt tempore suo tostæ pro cibo exhibitæ, extra tempus autem aridæ tritæ cum aqua: sed radicis nardi parvum cum cicadis elixetur: in iisdem quoque loco balnei ad vesicæ laxamentum æger desidat.

Quod si lapillorum interpositio mictum impediat; auriculario specillo lapis amovendus est, urinaque educenda, nisi adsit phlegmone, in phlegmonis, namque neque meatus instrumentum admittit. Præterea auriculario specillo vulnerantur.

At si expediri medicatio nequit, homoque doloribus consumitur; locum eum, qui sub glande est, cervicemque vesicæ incidito, ut lapis excidat, atque urina effundatur; ac deinde potissimum medendum est ad cicatricem vulnus ducendo: sin minus, puris effluvium, quod rhœas Græce dicitur, factum esse pro futura hominis vita satius est, quam ut tormentis miserrime cruciatus intereat.

Curatio Hysterica suffocationis. Cap. X.

UTERUS in mulieribus membranis extentis hinc atque inde secundum illas continetur, ac perinde atque animal vitia in olfactu patitur: nam ad bene olentia delectationis causa se recipit, fœde olentia contristantiaque præ molestia refugit. Igitur si aliquid superius triste offera-

Digitized by Google

tur, uterus ad naturalia deſcendit; ſi extus, oſtio naturalium apponatur, retro ſurſumque recedit: nonnunquam vero in hoc aut illud latus ad lienem, aut jecur movetur: ad receſſum ejus autem contradictionemque membranulæ, ut in navibus vela, cedunt, atque conſentiunt. Hæc vero illi, & propter inflammationem eveniunt: nam ſi ejus cervix afficitur, atque intumeſcit, fit prominentior. Si in fundo exoritur inflammatio; ſurſum repit. Sin ad pedes foras vergat, turpis & immunda res eſt, dolores afferens, & contriſtans, præterea difficulter ambulare poteſt, & in latus, & ſupina decumbere, niſi pedes mulieris phlegmone laborent. At ſi ad ſuperiora uterus recurrerit, quam ocyſſime hominem ſtrangulat; urget autem ſpiritum comprimens: neque enim prius conqueri, & clamare, & opem ab adſtantibus peterə valet, quod nonnullis, hiſque pluribus reſpiratio, nonnullis autem vox celerius intercipitur: par eſt itaque eos, qui his miſeriis interſunt, prius quam mulier intereat, medicum accerſere.

Verum ſi forte aliquando occurreris, cognita phlegmone venam ſcindito, præcipue quidem eam, quæ in malleolo; quæ ſi non bene fluida ſit, eam, quæ in cubito eſt, petito: ſed a vena malleoli ſanguinis miſſionem repetito.

Alia vero omnia adminiſtrato, quæcunque ſtrangulatui, & citra inflammationem ſubveniunt: qualia ſunt manuum ac pedum vincula ad torporem uſque adſtringentia: fœde olentium olfactus, ut liquidæ picis, capillorum, lanæque, exuſtorum, flammæ in lucerna extinctæ nidoris, caſtorei, quod præter fæditatem odoris nervos etiam refrigeratos calefacit: lotium præterea vetus vel demortui fere corporis ſenſum magnopere ſuſcitat, & uterum ad inferiores partes abigit.

Digitized by Google

Porro medicamenta odorata naturalibus ſunt imponenda: unguentum vero lene ſit, & minime tactum vellicans, nardus, aut bacchar ægyptium, aut unguentum ex malabathri indicæ arboris foliis compoſitum, aut cum aliquo odorato unguine tuſum cinnamomum: atque his muliebres locos oblinito. Quod ſi ex his fuſile medicamen confletur, illud in vulvam infundito, anum quoque flatuum eductoriis inungito, per clyſteres quoque non acres, ſed molles; viſcidos lubricoſque humores indito, ut ſtercora ſolum ejiciant, ſedeſque utero ampla vacuaque remaneat: id ſuccus altheæ, fœni græcive præſtabit; ſertulam vero, aut ſampſucum cum oleo decoquito.

Cæterum ſi majore vi, aut depulſione, uterus egeat, tunc validæ mulieris aut viri bene tenacis manibus hypochondrium comprimatur, aut faſciis adſtringentibus ſuccingatur: quo in anguſtum locus redigatur, neque iterum ſurſum verſus uterus procurrat. Item naribus apprehenſis ſternutamenta citentur: quibuſdam enim ſternutamento & contentione, uterus in propriam ſedem redire poteſt; in nares autem pulvis inſpiretur ex radice lanariæ, aut piperis, aut caſtorei. Idem leves cucurbitulæ in fœminibus, ilibus, coxis, inguinibus attrahendis uteri cauſa defigantur, amplius, & dorſo inter ſcapulas ſtrangulatui ſubveniens admoveto.

Sin a phlegmone ſtrangulatus proveniat, vena ad pubem veniens ſcindenda eſt, multumque ſanguinis fundendum. Item faciei frictione, capillorum evulſiones, ut mulier ad ſe redeat, ſimul bene facient.

At ſi vel parum tolerare poterit; in decocto aromatum deſidat, odoratibuſque ſuffumigetur.

Digitized by Google

Ante cibos caſtorei paulum bibat, & hieræ paulum cum caſtoreo. Quod ſi ferre valet; lavetur, & in tempore ad antiquos uſus revertatur: detque operam mulier, ut quam facillime menſes elabantur.

Curatio Satyriaſis. Cap. XI.

NERVORUM in virilibus inflammatio penis tentiginem facit cum appetitu contriſtatione neque in actu venereo: fiunt autem diſtentiones nervorum convulſioni perſimiles, nuuquam mitigabiles. Quin & ipſo concubitu ſedari non poteſt iſta calamitas.

Mentis quoque alienatio ſequitur, nam primum quidem impudentes evadunt, dum caſum ſuum licentioſe narrant: audaces enim eos coeundi inſatietas efficit. Poſtea vero cum affectus iſte deſierit, tunc ad ſe redeunt, & mente optime conſtant.

Igitur omnium horum cauſa venam in cubito, & in talo aperias, & multum cruoris, ac ſæpe detrahas; neque enim id temporis intempeſtivum fuerit, & ad mentis ſtupefactionem, & ad inflammationis remiſſionem, & ad caloris virilium mitigationem faciendam, animæ deliquium afferre, quippe ſanguis multus calorem, & audaciam valde accendit, inflammationem alit, mentis perturbatioem confuſionemque veluti eſca ignem procreat.

Omne corpus etiam medicamento, quod hieram, id eſt, ſacram vocant, purgato: neque enim purgatione ſolum egent, ſed etiam leni medicatione: utrumqe autem præſtare hiera poteſt,

Digitized by Google

Insuper genitalia, & lumbos, & locos inter femina, & inguina (Plecada Græci vocant) & locum inter anum, & scrotum (Perinæus Græce dicitur), & testiculos lanis ab ove detonsis adhuc sordentibus obvolvito, sed lanas rosaceo ac vino perfundito, partesque istas multa irrigatione madefacito, ne ab lanis caliditas oriatur: imo nativus calor a frigida humorum potestate obtundatur. Ejusmodi quoque cataplasmata superdanda, panis cum plantaginis herbæ succo, & solano, & seride, & papaveris foliis, idque genus aliis quæcunque torporem, frigoraque injiciunt; nec non & similibus virilia, & locos inter inguina, & femina, & coxas illinito cicuta ex aqua, vel vino, vel aceto: item mandragora, aut acacia, & spongiis vice lanarum utitor. Interea subluenda alvus est malvæ decocto, & oleo, & melle: omnia vero acria vitentur. Defigantur in coxa cucurbitulæ, aut in abdomine. Optimæ sunt autem & hirudines ad sanguinem deorsum adtrahendum. Et super vulnera cataplasma imponatur micæ panis cum althæa. Postea in aqua desidat, ubi artemisia, salvia, conyzaque decoctæ sint.

At si longiori tempore vitium extrahatur, neque multitudo (plethora) secundum proportionem minuta fuerit, & nervorum convulsionis metus adest, (nam facile in affectibus convelluntur,) curandi rationem mutare opus est, quippe calefacientia admovenda sunt; gleucinum scilicet oleum, aut sicyonium pro rosaceo; lanis autem mundis, & cataplasmatibus tepefacientibus partes illæ contegendæ; quandoquidem hujusmodi curatio mitigavit: amplius & castoreum cum mulsa bibitum.

Cibaria parum nutrientia frigidaque sunto: pauca triticea: plurima olera, malva, bliton, la-

Digitized by Google

ctuca, cucurbita elixa, cucumis maturus elixus, pepo ſuo tempore collectus. A vino, & carnibus, longo temporis intervallo abſtineto: ſiquidem vinum eſt nervorum calefactio, animæ remollitio, voluptati revocatio, genituræ creatio, veneriſque excitatio.

Hæc a me in acutos morbos remedia ſcripta ſint. Oportet autem, & juvenem medicum ipſum ſuo marte aliqua ſibi comparare; neque omnia ex alienis commentariis depromere. Hoc ſane pacto acuta vitia fiunt, ut ordine ſingulis, quæ ſcripta ſunt, aut omnibus uti valeas.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS

DE

DIUTURNORUM MORBORUM CURATIVUS.

LIBER PRIMUS.

Proœmium. . . . . . *Cap. I.*
Curatio Cephalææ. . . . . . *Cap. II.*
Curatia Vertiginoſorum. . . . *Cap. III.*
Curatio Morbi comitialis. . . . *Cap. IV.*
Curatio Melancholiæ. . . . . *Cap. V.*
Curatio Phthiſis ſeu ulcerum pulmonis. . . . . . *Cap. VIII.*
Curatio Ulcerum jecoris, & effuſionis puris. . . . . *Cap. XIII.*
Curatio Lienis. . . . . . *Cap. XV.*

Cætera capita deſiderantur numero octo; vide primum librum de ſignis, & cauſis longorum morborum.

Proœmium. Cap. I.

In longinquis morbis dilatio medelæ mala eſt: nam ob cunctationem in vitia inſanabilia prolabuntur. Inflatio ſane ita habet, ut non facile recedat, ſi ſemel invaſerit: at ſi & diutius trahitur, temporis ſpatio vires acquirit: & non

Digitized by Google

nunquam evenit, ut commoriantur. Exiguos quoque morbos majores excipiunt: cumque priores discrimine vacarent, eorum soboles pernicioſa exoritur. Itaque nullo pacto ægrotum ſilere convenit, ne morbus deprehenuatur, erubeſcentem neque aufugere vim curationis metuentem: neque medicum pigrum eſſe, ignavumque oportet: utrumque enim ad morbum inſanabilem efficiendum conſentit. Nonnulli autem ſunt ægroti, qui præſentium, nec non & futurorum ignoratione ad finem uſque cum morbo degunt. Nam plerique neque pereunt, neque futuram mortem ſuſpicantur: quocirca neque ſe medici fidei committunt. Horum probatio ex cephalæa colligitur: de qua prius ſermonem inſtituam.

Curatio Cephalææ. Cap. II.

CAPUT quanto ad vitam magis neceſſarium eſt, tanto difficiliori ægritudine laborat. Atque morborum capitis invaſio quidem tolerabilis eſt: nam parum dolent, aures ſonant, gravitas adeſt: at ſi intendantur, finis eſt mortiferus. Igitur exiguos dolores ne ſpernito: nam & exiguis medicamentis in quibuſdam diſcuſſi ſunt.

Si plus temporis extrahuntur, majores cruciatus ſuperveniunt, propterea vena cubiti incidenda eſt: ſed duobus ante diebus vinum bibat, tantum autem ſanguinis detrahito, quantum ejus vires tibi conjectanti oſtenderint, verum non ſemel totum detrahere magnopere expedit; porro quorum vires copioſam ſanguinis detractionem patiuntur, his ipſis continuo morbus diſcutitur: atque id omnibus longis ægritudinibus convenit.

Digitized by Google

Tribus autem quatuorve diebus interjectis liberalius alendi ſunt. Deinceps purgatorium, hieram quod vocant, cum mulſa propinandum: ea enim a capite morbi alimentum maxime abducit, modus vero medicamenti quatuor aut quinque drachmarum pondo eſto. Quod ſi bene purgaverit, tunc lavandus eſt, & vinum exhibendum, & vires augendæ. Poſtea iterum vena frontis recta ſcindenda eſt: hæc enim eſt opportuniſſima ſanguinis detractio; modus autem eſto hemina, aut paulo plus, neque ultra ſanguinem mittito, quoniam vaſa inanire non expedit. Deinde capillis novacula detractis cucurbitulam priorem vertici affigito, alteram inter ſcapulas citra ſanguinis effuſionem admoveto: & eam, quæ in vertice fixa eſt, liberius ſcarificato: quo ſanguis uberius attrahatur, & partes profundiores incidantur; remedia namque ad oſſa uſque penetrantia cephalæam juvant. Quod ſi vulnera cicatricem ducant, arteriæ ſecentur: duplices autem ſunt; aliquæ poſt aures paulo ulterius, propriiſque motionibus produntur: aliæ vero aurium arteriæ prorſum verſus ſitæ ſunt auribus proximæ: nam inſtrumento, quod Antitrochon Græci nominant, adducuntur. Verum hæ quoque propriis pulſationibus innoteſcunt, nempe majores oſſibus vicinæ ſecentur: hæ namque utilitatem afferunt: adjacent & aliæ ſingulis auribus, oppido tenues, quas incidere prorſus inutile eſt, modum vero incidendi in libris de manuum operationibus expoſui.

Cæterum poſt medelam in cephalæa, morbo comitiali, & vertigine, utque ſemel dicam, in omnibus capitis vitiis (prius ventre, aut purgatorio, quod devoretur, aut clyſteri, evacuato) pituita evocanda eſt, modo e naribus per ſternu-

Digitized by Google

tatoria, modo ex ore per ducentia pituitam. Species autem ſternutamenta citantium ſunt piper, radix herbæ lanariæ, fibri teſticulus; hæc quidem ſunt vulgata, & communia; ad lævorem autem terito, & cribrato, & calamo aut craſſiore pennæ anſerinæ caule inſpirato. His efficacius in attrahendo violentiuſque euphorbium eſt, cum aliquo ipſorum admixtum. Quin etiam cum oleis miſcetur, gleucino ſcilicet, aut ſicyonio, id eſt, ex cucumere ſylvatico, aut cum unguento ex ſtyrace: redditur autem magnopere liquidum, ut fuſile ſit, infunditur per naſi fiſtulas: hæ vero geminæ ſunt, atque ab uno canali cognatæ, & cohærentes adeo, ut ſemel utriuſque infundendum ſit, neque enim tolerabilis eſt alterutrius naris ſigillatim dilatatio, nam protinus caput accenditur, & acerbus dolor invadit.

Quæ autem per os pituitam eliciunt, hæc ſunt: ſinapi, granum cnidium, piper, uva taminia: id præſtant vel mixta, vel ſingula. Cætærum quoniam & ipſa mandere, & exſpuere aſſiduum eſt: idcirco, & cum aqua, aut mulſa, aut poſca permixta danda ſunt, atque os eluendum; ad tonſillas enim impulſo humore extentoque collo exſpirationis flatui ablatur.

Poſteaquam pituitam, quantam libet, eduxeris, permulta aqua calida lavandum caput, atque perfundendum; ut perſpirabile atque difflabile reddatur: ingentes enim obſtructiones fiunt. Cœna frugalis, & ſimplex eſto: in qua & vinum ad ſtomachi reſtitutionem ſumatur, ſiquidem & ipſe magno dolore vexatur.

Interea vero, ubi vires ægri ſtabiliveris, lotione per clyſterem uſitata opus eſt: in qua nitri multum inſpergatur, aut reſinæ a terebintho ar-

Digitized by Google

bore drachmæ duæ eliquentur, poſtridie ſanguis e naſi interioribus detrahatur: intro enim prælongum inſtrumentum immittitur, quod catejadion vocant, aut illud, cui ſtoryne nomen eſt, aut ſi quis horum copiam non habuerit, pennæ anſerinæ caulem caaſſiorem ſumere debet, ejuſque nervoſam partem denticulatim inſtar ferræ incidere, atque ſic in narem uſque ad oſſa, quæ ob cribi ſeu colatorii ſimilitudinem ethmoide vocantur, immittere; deinde utraque manu agitare, quo locus a dentibus inſculpatur, ac vulneretur. Facilis eſt autem ac copioſus ſanguinis curſus: nam graciles venæ hic deſinunt, corporaque hac in parte mollia ſunt, & ſectioni habilia: verum & multos nares vulnerandi modos vulgus novit, herbas ſcilicet aſperas, & arida lauri folia naribus imponentes, aut digitis eas fortiter agitantes.

Cum vero, quantum ſatis ſit, evacuaveris, quod erit heminæ dimidium, coercendus ſanguis eſt ſpongiis, & poſca, aut aliquod aridum, quod ſiſtendi ſanguinis vim habeat, naribus inſpirandum, galla, aut ſciſſile alumen, aut balauſtium.

Verum enim vero poſt hæc remedia ſive dolor capitis perſeveret, ſive deſinat, oportet ad finem hujus medicationis pervenire, quoniam id malum ſæpe reverti ſolet, & in ſuo vigore conſiſtens plerumque deliteſcit. Itaque novacula deraſis capillis, (quandoquidem & hoc capiti prodeſt,) ferramentis candentibus urendum eſt: ſi in ſuperficie, ad muſculos uſque pervenias: ſin oſſe tenus penetrare velis, a muſculis caveto, nam muſculi exuſti nervorum diſtentiones cient, quod ſi in ſumma cute uſſeris, vinum odoratum album cum roſaceo infundere ſatis eſt. Pittarium vero madefactum per triduum ſupra cru-

Digitized by Google

ſtas extendito: quod ſi cruſtæ altius deſcendant, porri comam cum ſale tritam, linteoloque illitam ſuper dato. Tertio die cruſtis ſummam cutim tantum occupantibus ceratum ex roſa, profundioribus autem lentem ex melle imponito. Sed quæ medicamenta cicatricii inducendæ apta ſint, alio loco deſcripſimus. Nonnulli ſuper frontem ea in parte, ubi ſutura eſt, quæ corona dicitur, cutim oſſe tenus inciderunt: illudque aut exterentes, aut excidentes uſque ad meditullium (quam græci diploen nominant) ad carnis repletionem perduxerunt. Alii & oſſa ad membranam uſque perforarunt. Verum id genus remedia temeraria ſunt: nihilominus tamen adhibentur, ſi omnibus aliis tentatis adhuc cephalæa perſeverat, & æger eſt animoſus, vel corporis robur excellit.

Si jam paulatim ad ſanitatem acceſſio fiat, exercitationes recto corpore pectori humeriſque adhibeantur, manuum fiat geſticulatio, halteres jaciantur, ſaltu corpus moveatur, atque in his perite corpus torqueatur; primo, & poſtremo crura fricentur, medio tempore caput: picatio aſſidue picem inſpergendo adminiſtretur: item caput rubrificandum nonnunquam ſinapi cum duplo pane affricando, ne intolerabilis ignis excitetur: nonnunquam medicamina ſimul illinendo, quale eſt illud, quod ex adarce, & euphorbio, & pyrethro componitur: proficit autem & ad dolorem in tempore ſedandum, & ad radicem mali exſtirpandam thapſiæ ſuccus, & medicamina cum ipſa jungenda, quotcunque cutim tumefaciunt, & variis ſimilia tubercula excitant.

Victus ratio in ſingulis dolorum generibus tenuis eſto: exiguus potus, & aquæ potio ante ullam medelam potiſſimum adhibeatur: ex toto vero ab acribus temperet, cepis, alliis, & ſucco

Digitized by Google

laſerpitii, a ſinapi autem non penitus: ſiquidem ejus acrimonia, præterquam quod ſtomachi vim roborat; capiti quoque haud ingrata eſt, pituitam fundens ac difflans, aut ad inferiora deturbans. Leguminum peſſima faba eſt, & ejus ſpecies ipſa, & quæ a græcis ochri, & dolichi nuncupatur; illi cicerculæ folio ſimiles, hi faſeoli aut lobi a nonnullis vocitati: ſecundo loco ponitur lens, quæ nonnullis concoctionis excretioniſque virtutibus prædita eſt: ſed caput replet, doloremque concitat: nihilominus cum pipere elixa ſpernenda non eſt. Far lotum haud ingratum eſt cum vino, & melle, quantum ad condimentum ſatis ſit, & ex ipſo conflata ſorbitio, & ejus ſemina in ſimplici juſculo decocta, utique bona ſunt, & in condimento, quod Græci carycneam vocant; ſemina cari, coriandri, aniſi: apii vero ſemen iis anteferendum: mentha herba, & pulegium præterquam quod bene olent, quandam vim habent, & urinam movendi, & flatus per inferiora expellendi.

Inter carnes vetuſtæ omnes damnantur: nuper interfecti galli carnes laudanrur. Inter aves torquatus palumbus, columbus, & aliæ quæcunque haud ita multum pingues ſunt; ſuum extremitates, lepus aſſatus. Bubula ovillaque caro craſſum ſuccum creat, & caput replet. Hœdus non penitus malus. Lac & caſeus caput dolore vexant. Ex piſcibus ſaxatiles deligendi, & quotquot in ea regione optimi cenſentur.

Olera elixa quidem ea aſſumantur, quæ lotium, & ventrem citant, malva, blitum, beta, aſparagi; acris vero & braſſica eſt. At inter cruda, lactuca omnium eſt optima. Radices autem, etiam elixæ, pravæ ſunt, radiculæ, rapæ; paſtinacæ

Digitized by Google

urinam movent, sed caput explent; sisarum flatus edit, & ventriculum tumefacit.

Vinum album tenue dulce admittatur, tantum adstrictionis habens, quod alvum non remoretur. Omnia bellaria capiti inimica, (*a*) quin, & palmularum omne genus; ficus autem, & uva demulcent, & quicquid ea parte anni, quam horam Græci vocant, bonitate præstat: sed quibuscunque vel etiam juvantibus satiari malum est; pejor est cruditas. Labores minus, quam cruditas nocent: nihilominus, & ipsi sunt detrimentosi.

Deambulationes matutinæ, alvo prius exonerata, citra spiritus difficultatem bene feruntur; optimæ sunt etiam & a cœna; gestatio longa per loca non ventosa conveniet, atque ubi sol caput non feriat: ei namque sirius officit. Usus veneris capiti ac nervis labem accersit. Peregre proficiscatur ægrotus in regiones calidiores ex frigidioribus, & in sicciores ab humidioribus. Confert & navigatio, & in mari vitæ traductio, & si quis sit maris accola, in salsa aqua frigida lavari, & in mari natare, & in arena volutari, victumque ex mari quærere proderit. Doloris vero capitis, quem hemicraniam Græci nominant, eadem medicamina sunto: nam quæ toti capiti remedia conducunt, eadem singulis ejus partibus adhibere, bonum est. Quibuscunque vero per hæc morbus depulsus non fuerit, iis reliquum est, ut veratro utantur, utpote ultimo atque valentissimo omnino remedio.

(*a*) *Aliter præter.*

Digitized by Google

Cuaatio Vertiginoſorum. Cap. III.

ET ſuccedit cephalææ vertigo, & ipſa per ſe propriis de cauſis oritur, ſi profluvium ab hæmorrhoidibus coerceatur, ſi e naribus ſanguis non effluat, qui prius effluere conſueverat, ſi corpus non diffletur aut ſudore, aut labore antea fatigatum.

Igitur ſi ab cephalæa ducit originem, ea medendi ratione uti debemus, quæ ad cephalæam ſupra expoſita eſt; quibus autem violentius cum ultimis remediis occurendum ſit, poſterius explicabo.

Sin ab aliqua humorum ſuppreſſione morbus inciderit; uſitata excretio movenda eſt, naturæ namque ſalutaris eſt materiæ recurſus.

At ſi iſta tardat, malum vero increſcit: in aliis quidem ſuppreſſionibus, aut ſanguinis e naribus manare aſſueti, aut ſudorum, ſanguis mittendus eſt e vena cubiti.

Sin ab jecore multis humoribus affluente, aut a liene, aut ab aliquo ex viſceribus in medio corpore poſitis, vertigo prodeat, cucurbitulæ ſubveniunt. Sed quantum ex vena defluit, tantundem per has ſanguinis eſt detrahendum, ſanguis enim eſt cauſæ alimentum, quemadmodum & ventriculus. Deinceps capitis remedia ſubjungenda, vena cubiti recta, aut naſi arteriæ utrinque in angulis ſecandæ, cucurbitula vertici affigenda, caput radendum, rubrumque faciendum; pituita e naribus per ſternutatoria, aut ex ore, quemadmodum docui, evacuanda; omnia denique modo in cephalæa narata adminiſtranda,

Digitized by Google

duntaxat adjicitur cyclaminis ſuccus aut anagallidis, in aures fundendus:

Poſteaquam vero medicaminum capitis ad finem perveneris: deinde quotquot efficaciora ad vertiginoſos inveniuntur, ea ſunt adhibenda. Vomitibus a cœna, nec non vomitibus ab eſu radicularum uti poſtea decet: quin etiam ad veratri aſſumptionem hæc præparatio fuerit; nam præexercendus eſt ſtomachus, cum vehementioribus vomitoriis uti volumus. Pituita quoque impræſentia magis attenuatur, & ad veratrum bene funditur.

Veratri exhibendi modi plures ſunt, ut validioribus quidem ſuccurrat, ad magnitudinem amæ, id eſt placentulæ, aut paulo craſſius eſt incidendum, & cum farre loto, aut lente aſſumuntur drachmæ duæ; imbecillioribus autem, & gracilioribus decoctum cum melle propinatur, & duarum aut trium myſtillarum modus eſt: quis vero ſit faciendi modus, alio loco declarabitur.

Inter ſingula autem remedia æger cibis reficiendus eſt: quo ea, quæ interim incidunt, ſuſtinere valeat.

In acceſſionibus quoque ſic opitulandum eſt; deliganda ſunt crura ſupra talos, & genua, & manus brachialia, brachiaque infra humeros prope cubitos: ad caput irrigandum facit roſaceum cum aceto, oleo vero incoquito ſerpyllum, aut ſpondylium, aut hederam, aut id genus alia; fricentur extrema, & facies, olfaciat acetum; pulegium, mentham, aliaque ejuſmodi ex aceto; inter dentes aliquid apertionis cauſa imponatur, nonnunquam enim maxillæ colliduntur, & cohæreſcunt: in tonſillis fiat titillatio, vomitus citetur: nam interdum rejecta pituita æger e tenebris

Digitized by Google

nebris excitatur. Hactenus ad acceſſionis levamen, & tenebrarum diſcuſſionem dictum ſit.

At de univerſa victus ratione tam in curando, quam poſt curationem hæc noſtra ſententia eſt. Somnus multus æque, atque inſomnietas inimica ſunt: multus enim ſomnus ſtuporem capitis ſenſibus injicit; vaporum exuberantia torpet omnis actio. Hi plane gravitatis, & ſonorum in auribus, & ſplendorum quorundam oculis obverſantium cauſæ, morbi vero indicia ſunt. Vigilia cruditatem facit, alimentum ſubtrahit, laborem affert, corpus contriſtat, mentem labefactat: propterea facile furere, atque atra bile vexari iſti conſuevérunt. Mediocris autem ſomnus ad alimenti diſtributionem, & ad laborum diurnorum levationem utilis eſt. Alvo ad excretionem conſulendum: nam diffluationis cauſa potior alvus eſt. Iterum crurum frictio per aſpera linteola uſque ad ruborem, deinde dorſi, & laterum, poſttremo capitis adhibenda, ab his ambulationes circa initia, & finem leniores, mediæ vero acriores. Quies conſiſtentia ſpiritus poſt ambulationes eſto.

Vocem leniter exercere oportet, gravibus vocibus intentum ſonum edere; acutæ namque voces capitis diſtentiones, temporum palpitationes, cerebri pulſationes, oculorum inflationes, auriumque tinnitus efficiunt: mediocriter acuta vox edita, capiti prodeſt. Poſtea vero geſtationis tempus adeſt, ad diffluandam totam capitis gravitatem opportunæ; longa ſit autem, verum citra fatigationem, neque in tortuoſis regionis tramitibus, neque aſſiduis itineris flexibus geſtatio fiat: quoniam ſic vertigines oboriuntur; ſed rectæ, & longæ & lenes ac ſuperioribus locis geſtationes fiant. Siquidem ita aſſueti ſint, optimum panem

Digitized by Google

ſolum aſſumant, quantus exercitationibus impedimento ne ſit, prius enim concoctum eſſe oportet: caput, & manus exercendæ, horumque frictiones faciendæ; in his vero leniter agendum: ut caliditas excitetur, & caro augeatur, & vires reſtituantur, poſtea ſuum ipſius caput erectum fricato diutius hunc laborem ſuſtinens. Quin & exercitationes ad cervicis uſus, & ad manuum agilitatem faciunt, ſi ſcienter fiant: ſurſum attollendo, caput atque oculos exercere oportet. Manuum exercitatio fit, aut diſcorum jactu, aut certando ceſtibus, aut pugnis, pila vero parva & magna, detrimento eſt; nam capitis, & oculorum circumvolutiones atque intentiores vertigines afferunt. Optime faciunt ſaltus, & curſus; omnia velocia exercitia cruribus conveniunt, & omnia roborant.

Frigida lavatio illuvie, illuvies autem calida lavatione melior; adſtringere, denſare, ſiccare caput frigida lavatio efficaciſſime poteſt; & hic ſalubris ſtatus eſt humectare, ſolvere: tenebras offundere valentiſſime calida lavatio poteſt, & hæ capitis morborum cauſæ ſunt; tales ſunt & auſtri auditui graves: exercitationibus quies ſuccedat, ut perturbationem ſedet. Capitis preſſiones ad cutim poliendam faciunt. Aquæ, aut aquati vini propinatio, eſt res optima, paratu facilis. Coma olerum aſſumatur, quæ ventrem molliunt, malvæ, betæ, bliti. Liquamen bonum ſtomacho, ori ſuave, alvum leniens, neque grave capiti, ex thymo, aut thymbra, aut ſinapi conficitur.

Ova hieme calida, æſtate frigida putamine ſpoliata, non toſta præbeantur. Olivæ palmulæ ſalſamentum, recte conditum: alica elota cum

Digitized by Google

aliquo dulci, quantum condiendi cauſa aſſumi debet; poſt hæc ſal adhibendus.

Otium, & quies ab audiendo, & loquendo, ambulationibus utatur ſub aëre perſpirabili; delectat autem locus, aut arboribus conſitus, aut herbidus. Utique vertiginoſus cum ad cœnam accedit, maxime iterum in frigida lavetur, parum unguine corpus ſublinens: ſi nolit, at crura tantum. Cœna triticea eſto, quale eſt itrion, quod eſt placentæ genus, aut ſorbitio ex alica, aut ptiſana flatu vacans, per elixationem concoctu facilis. Medicamenta vero ſuaviorem ptiſanam reddentia ſunt piper, pulegium, mentha, cepæ aut porri paulum, neque tantum, ut innatet; acetum vero acre utiliter aſſumit. Carnes ex pinguibus animalibus non pingues, ſuum pedes, & capita. Volatilia omnia, ſed multitudinem conjectura metiri oportet, lepus, & venatio, gallina quæ in promptu habetur, & juvat. Omnia bellaria caput dolore infeſtant, præter palmulas aut maturas ficus, aut uvas, ſi flatibus homo vacet, hæc benefacient. In ſecundis quoque menſis utiliter ea ſumuntur, quæ facile concoquuntur, ſi nidore vacant, & levia ſunt. Poſtea deambulatio, mentis ex hilaratio; in quiete ad ſomnum converſio adhibenda.

Digitized by Google

Curatio morbi Comitialis. Cap. IV.

INGENTIBUS medicamentis atque valentiſſimis in morbo comitiali opus eſt; nam quoties ejus idea in mentem venit, non modo laborioſum malum, & periculi plenum, ſed etiam generis morbi fœditatem, & calamitatis opprobrium exhorremus: atque ita exiſtimo, ſi ſe mutuo in acceſſionibus ſpectantes ægroti, quæcunque patiuntur, cernerent, non ultra vitam ducere tolerarent; verum quæ ſingulis atrocia fœdaque inſunt, ſenſus privatio, intuendique ſublata facultas abſcondit.

Cæterum medendi rationem naturæ facilitatem ſequi optimum eſt: quando per ætatis mutationes in longe melius hominem permutat. Quoniam ſi uſitatus in malo victus, in quo morbus alitur, deſierit, non ulterius hominem infeſtat, ſimul enim cum priore victus ſpecie morbus recedit. Igitur ſi caput occupavit, inhabitat, quocirca omnia quæ a nobis in capite de cephalæa relata ſunt, facere neceſſe eſt, detrahendo ſanguine, & corpore purgando. Venæ autem, & quæ in cubito, & frontis recta ſecandæ ſunt, cucurbitula admovenda; non eſt autem uſque ad animi deliquium ſanguis detrahendus: ciet enim morbum deliquium animæ. Arteriæ omnes, & ante, & poſt aures incidendæ, inter hæc omnia excellens purgatio facienda purgatorio, quam hieram vocant, atque his, quæ e capite pituitam eliciunt: ſed multo valentiora ſint medicamenta, ſiquidem iſtorum habitus eſt dolorum patiens. Hilaritas vero, & bona ſpes id genus ægros miſeros reddit.

Digitized by Google

Opus eſt etiam ignem capiti inferre: proficit enim. Imprimis os perforare uſque ad ſecundam laminam oportet: deinde ceratis cataplaſmatiſque uti tantiſper, donec membrana ab oſſibus receſſerit. Terebra nuda oſſa circumcidere convenit: ac ſi paulum reſiſtant, uſque ad ſpontaneam avulſionem perſeverandum, quouſque nigra nonnunquam iſtorum, & craſſa membrana inventa fuerit. Cumque per putrefactionem vel etiam purgationem audacter curante medico vulneri cicatrix inducta fuerit, ægrotus morbum evaſit. Maxime omnium capitis ab ruborem uſque frictiones valent uſitatæ quidem, quæcunque a me ſuperius traditæ ſunt: valentior eſt autem, quæ fit per cantharides, ſed tribus diebus ante, quam his utamur, lac, ut veſica muniatur, bibendum eſt: cantharides enim magnopere veſicam lædunt.

Hæc abunde ſint, cum caput affectum eſt. At ſi mediæ corporis partes cauſam præbent, & ab his morbus exoritur: (rariſſime autem iſta fiunt, potius enim mediæ partes in conſenſu morbi trahuntur a capite, utpote ab ingenito malo, quod ægritudinis initium eſt): utcunque igitur res habeat, & in his vena cubiti ſolvenda eſt; a viſceribus enim materiæ curſus eſt.

Quin etiam iſti magis, quam alii, purgandi ſunt, & hiera, & cneoro, quam thymelæam vocant, & coccognidio, quæ chamelæa dicitur: hæc enim pituitam extrahunt, peropportunum autem ipſis remedium eſt cucurbitula: epithematum vero, & cataplaſmatum ſylva omnibus perſpecta eſt, & ea ubique ſcribere ſupervacuum ducimus, niſi quatenus eorum vim noſſe conveniat: quod ſcilicet iis extenuare, per halitus digerere, fluxa ſpirabiliaque corpora reddere oporteat.

Digitized by Google

Item concoquentibus medicamentis calidis, aridisque, & urinam moventibus in nutritione, & in medicatione utendum: sed omnibus præstat fibri testiculus sæpius in mense ex aqua mulsa potus, præterea quæcunque ex variis composita medicamenta idem præstant, adhibenda sunt theriaca & mithridatium, nec non & Bestini antidotus bibenda est: quandoquidem hæ concoquendi facultatem roborant, utiles humores creant, & urinæ movendæ aptæ sunt, nam quæcunque simplicia medicamenta scribere opus esset, hisce continentur antidotis, cinnamomum, casia, folia malabathri, piperis, seselisque omnia genera; & quodnam ex valentissimis remediis in istis compositis non reperies? Fama est, & vulturis cerebrum, & crudæ fulicæ cor, & domesticos feles comesos morbum discutere. At ego istorum periculum non feci, nonnullos autem vidi nuper jugulati hominis vulneri phialam subjicientes, atque inde haustum cruorem bibentes. O ingentem necessitatem, quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere! atqui ex ea ad sanitatem nec ne isti pervenerint, nemo vere mihi affirmare potest. Quin & quendam auctorem legi, qui humanum jecur epulandum apponi præcipiebat: sed hæc illis scripta sunto, qui ad hunc usque miseriæ terminum pervenerunt.

Præterea, & victu opitulandum est, & singulis remediis, quæ aut ab aliis, aut ab ipsomet ægro fieri possunt, utique in hoc casu nihil spernendum est, nihilque temere faciendum, maxime quælibet exigua adhibendo, quæ penitus prosint, nihil vero lædant. Etenim spectacula non spectanda, quæ ut & sermones & edulia & suffimenta plurima, morbum patefaciunt. Igitur omnia diligenter consideranda sunt. Somnus

Digitized by Google

multus craſſitudo eſt, ocium & nebula ſenſuum, bonum vero mediocritas. Alvi excretio a ſomno, præcipue flatuum ac pituitæ res optima. Ambulationes longæ commodæ ſunt, non flexuoſæ bonum ſpiritum reddunt, ſub arboribus myrtho, aut lauro, aut inter acres & bene olentes herbas, calamintham, pulegium, thymum, mentham, maxime quidem agreſtes, & ſponte naſcentes: ſin harum copiam non habeat, inter humano cultu procreatas. Inter has quoque geſtationes longæ, & ipſæ rectæ fiant. Itinera facere bonum eſt, non ſecundum fluvium, ne delabentem aquam intueatur: vertiginem enim aquæ fluxus affert, neque ullum, qui in orbem volvatur, neque turbinem, qui circumagatur, inſpiciat, eſt enim imbecillior, quam ut firmum ſtabiliat ſpiritum, nam ſimul cum circulo vertitur: circumvolutio autem vertiginem, & comitialem morbum accerſit. Poſt geſtationem lenis deambulatio, poſtea quies: ut agitatio in geſtatione contracta ſedetur. Ad hæc exercitationes manuum fiant, extremis ſudario ex crudis linis confecto involutis: inunctio non valde pinguis ſit: frictio lenta quidem ſed durior denſandi cauſa: tumidi enim, & craſſi ſunt plurimi, in medio vero totius frictionis caput erectum perfricetur. Exercitationes ad cervices, & humeros pertinentes, manuum commotio: omnia, quæcunque a me de vertiginoſis dicta ſunt, adminiſtrentur, ſatis vero hic ex copia ibi deſcripta poſitum eſt; præterquam quod velociores horum exercitationes eſſe oportet ad ſudorem movendum, caloremque excitandum: hæc enim omnia extenuant. Verum, & in omni vita oportet excandeſcentiam iracundia vacantem injicere.

Alimenta omnia ex craſſis leguminibus mala: triticei vero panes ſicciores præbendi, alica

Digitized by Google

elota, & ex ea ſorbitiones, ſed medicamenta voluptatis cauſa eadem cum ſupra poſitis ſunto: nunc autem plura ex acrioribus ponito, piper, zingiber, libyſticum. Liquamina vero ex aceto, & cumino, & ſuavia ſunt, & utilia. A carnibus quidem maxime in totum abſtineant, ſin minus, in curatione ſaltem; in refectione vero carnes deligantur, quæcunque ſunt natura leves: quales ſunt volatilium, præter anatem, & concoctu faciles, ut lepores, ſuum pedes, ſalſamentum; & poſt hæc ſitis utilis eſt. Vini paulum bibatur albi, tenuis, odorati, quod lotium movet. Elixorum olerum aſſumantur quæcunque facultate acria extenuant, & urinam citant, qualis eſt braſſica, aſparagus, urtica: crudorum autem lactuca ea parte æſtatis, quam horam Græci medici nominant.

Cucumeres autem, & pepo viro quidem robuſto ſupervacua, nonnullis vero guſtatione tenus præbenda, mala eſt enim horum multitudo, cum frigida ſint, atque humida. Ficus viridis, & maturæ uvæ, uſus convenit. Ambulationes; poſt eas animi oblectatio moleſtia carens juvat, iracundia utique, & venus noxiæ ſunt. Effectus enim morbi ſimilitudinem adducit. At nonnulli medici de concubitu falluntur. Nam quoniam naturalis in virum tranſitus aliquantum proficit, puerorum naturam intempeſtivo concubitu violarunt, tanquam citius eos roboraturi, ſed iſti a natura ſponte præfinitum tempus, in quo omnia remedia fiunt, ignorant: Hæc enim ſingulis ætatibus propria ſimul opportunis temporibus creat, in tempore namque concoctiones feminis, barbæ, canorum. Quis igitur medicus naturæ cum mutationem ſeminum a principio, tum præfinitum ſingulis tempus variaverit. Quin & in morbi naturam impegerunt: nondum enim in tem-

Digitized by Google

pore quidam veneri dare operam cœperunt, ante immaturitate rei noxam accipientes. Vitam autem degere oportet in regionibus calidis, & ſiccis, ſiquidem res frigida atque humida morbus eſt.

Curatio Melancholiæ. Cap. V.

NUM ſanguinem detrahere expediat, deliberatione indiget in melancholicis, ex quo humore morbus oritur: quin etiam ex non pauca malorum ſuccorum (cacochymiam Græci nominant) multitudine. Itaque ſi in juvenili ætate quis morbo corripitur, & veris tempore, vena in dextro cubito media cædenda eſt, ut a jecore ſit oportunum effluvium, id enim viſcus ſanguinis fons eſt, & bilis generatio, utrumque vero melancholiæ alimentum; cædenda eſt, inquam, licet ſint graciles, & ſanguinis inopes: ſed paulum ſanguinis mittendum, quatenus videlicet venæ ſectionem vires ſentiant, ſed nullam noxam earum tenor accipiat. Nam, & ſi craſſus, & bilioſus, & concretus, & ater, qualis amurca, ſanguis eſt, nihilominus ipſius naturæ prælium eſt atque alimentum. Quocirca ſi plus, quam decet, ſanguinis effuderis; natura cibi penuria de propria ſede prolabitur. At ſi ſanguine refertus eſt æger; plerumque quidem non uſque adeo malus ſanguis eſt, vena tamen utique ſecanda eſt, verum non eodem die; ſed aliis diebus repetendo, quantum ſatis eſt, ſanguinis detrahatur: eodem vero die modum ſanguinis mittendi vires declarabunt; medio autem tempore, quo aliam evacuationem ſubſtinere valeat, liberalius nutriatur.

Opus eſt autem & ventriculo ipſi quoque æ-

Digitized by Google

grotanti, & laboranti opitulari, eum vero ſi atra bilis urget, per diem unum prius tenuiter nutrito; ægro nigri veratri drachmæ duæ ex aqua mulſa præbeantur, id enim bilem atram expurgat: nec non & thymi attici coma, & ipſa bilem atram educit; commodiſſimum eſt autem ſingulorum partem, ut ex utroque duarum drachmarum pondo fiat, exhibere.

Poſt purgationem lavetur, vinique paulum bibat, & alia in cibis jucunditas concedatur, ſtomacho enim ac viribus laborioſa purgatio eſt: poſthac iterum ad media faciendus tranſitus; cum prius vero cataplaſmate atque irrigatione laxaveris, cucurbitulam jecori, & ventriculo, aut ejus ori admoveas, namque hæc detractio multo, quam ſectio venæ eſt opportunior, tergis quoque inter ſcapulas cucurbitulam affigito; ſiquidem eo loco ſtomachus adhæreſcit.

Deinde rurſum reficiendus æger. Atque ſi alimentum vires inſtauraverit; caput radendum: cui poſtea cucurbitula affigenda eſt, hujus enim morbi inter alios prima ac maxima cauſa in capite eſt. Porro neque ſenſus ipſis a noxa immunes ſunt, nam inde ipſorum exortus atque initium eſt; commutantur igitur, & ipſi, ægritudinemque participant, utique nonnulli, & ſenſibus delirantibus, corrupte ſentiunt.

At ſtomacho potiſſimum ſuccurrendum eſt: cum, & ipſe male habeat, & in ipſo bilis atra reſideat. Igitur abſinthii ſuccum ab exiguo incipiens ab fabæ uſque magnitudinem aſſidue devorato, id enim ne bilis gignatur, impedimento eſt. Benefacit & aloe, namque ipſa ad inferius inteſtinum bilem deducit. Nempe ſi recens malum ſit, neque multum homo a naturali ſtatu diſceſſerit, alia huic medela opus non eſt, ſed re-

Digitized by Google

liqua victus ratione utendum, & ad priſtinum habitum recuperandum, & ad exactam mali purgationem faciendam, & ad vim corroborandam: quæ omnia, ne iterum morbi revertantur, efficiant. Victum autem in refectione convenientem poſterius exponam.

Si ab his paulum debilitatus morbus denuo invaleſcere viſus fuerit; vehementiora medicamenta requirit: neque in aliud tempus differendum eſt.

Verum ſi a coercitis mulierum menſibus, aut in viro a ſupreſſo hæmorrhoidum profluvio, morbus creatus eſt, irritandi ſunt loci, & aliquid ſoliti excrementi profundendum. Si cunctatur, neque deſcendit, in aliam quampiam partem ſanguine prolapſo, morbus vero exacerbatur; evacuatio facienda eſt, & a talis incipiendum. Quod ſi non, quantum ſatis eſt, ſanguinis inde manaverit; cubiti quoque vena ſecetur. Interjectis autem reficiendi cauſa tribus, aut quatuor diebus, hieram, id eſt, Sacram, quæ purgatorium medicamentum eſt, potui dato. Ad hæc cucurbitam mediis corporis partibus applicato, jecori videlicet affigens.

Sed maturanda negocia ſunt, ac celeritas adhibenda, exiguis enim medicamentis morbus non obſequitur; ſi magnis autem non vincitur, ſed reſiſtit, tunc firma ſede melancholia nititur. Quod ſi penitus totum corpus occupaverit, ſenſus, mentem, ſanguinem, bilem, nervos etiam corripuerit, & ipſa inſanabilis efficitur, & aliorum morborum corpori ſobolem inſerit, furoris, convulſionis paralyſiſque, quæ ſi a melancholia proveniunt, ſanationem utique accipere nequeunt.

Quam ob rem ad hoc malum propulſandum veratro utendum eſt.

Digitized by Google

Sed antequam veratrum ægrotus accipiat; ſtomachum ad vomendum exerceat, & humores extenuet, & corpus fluxile reddat. Vomitiones autem hæ præſtant, nonnunquam jejuno ſtomacho, nonnunquam radice provocati. Docebimus vero & modum, & materiam: docebimus & veratri ſpecies, & utendi rationem item quo pacto ſinguli, & diſtinguere, & ordinare prius oporteat; & quo pacto in vomitionibus ſubveniendum ſit, indicabimus. Incredibile eſt autem niſi ab his funditus convulſus eſt morbus, at multorum ſaltem annorum intervallo non ſopiri, plerumque enim poſtea melancholia rurſum ſuboritur.

Quod ſi jam firmas radices egit; nihil jam ultra differendum eſt, ſed quæ ad veratrum pertinent, omnia adminiſtranda. Nempe ægroti omnes ſanari non poſſunt: medicus enim Deorum potentiam anteiret, verum dolores ſedare, morbos intercipere, atque obſcurare, medico fas eſt. Itaque nimirum his, quæ poſuimus, adhibitis, medici defatigantur, ſeque aliud quicquam facturos negant, atque duas cauſas, aut morborum inſanabilem eſſe, aut omnia ſe remedia tentaſſe prætexunt. Nihilominus tamen ſacram ex aloe medicinam ſubinde præbere haud alienum eſt, ſiquidem opportunum melancholiæ ſubſidium affert ſtomacho, & jecori ſubvenit, bilemque dejiciens mirifice prodeſt. Quin etiam malvæ ſeminis drachmam ex aqua propinare optimum eſſe quidam experientia compertum habuit. Infinita præterea ſunt ſimplicia medicamenta, quorum aliis alia utilia ſunt.

Poſt id genus labores demum, reficiendus æger eſt: quibuſdam enim quamdiu medicatio adhibetur, tamdiu morbus permanet, quamvis labefactatus ac debilis: at ſi homo carnes reſarciat,

Digitized by Google

ac vires inſtauret, ſimul omnia morbi veſtigia obliterantur; nam potentia naturæ ſanitatem, imbecillitas morbum parit. Propterea ad refectionem convertatur ægrotans, in aquis ſponte calidis ſæpe commorans: medicamenta enim, quæ in his ſunt ingenita, opem ferunt, bitumen videlicet, aut ſulphur, aut alumen, ac multo his plures aliæ facultates. Bona utique eſt humectatio morbi ſqualorem tollens, & curationis vexationem mitigans.

Raræ autem ac molles carnes ad ægritudinis remiſſionem maxime faciunt: verum ſiccæ ac denſæ melancholia laborantibus carnes ſunt. Inunctio pinguis cum leni frictione adhibeatur, cum multo autem oleo, hæc contineat. . . . . .

Multa deficiunt.

panes loti cum vino aliquo dulci Theræo, Cretenſi, & Scybellite, quod Pamphyllum vocant: aut vinum, & mel, quæ jam diu permixta fuerint, ova, & frigidiora, & calida, putaminibus nudata; non pingues carnes vim detergendi habentes; porcorum pedes; & capitis partes; avium alæ pingui carentes; venatio, ut leporis, caprearum, damarum carnes; fructuum autumnalium quiſquis optimus fuerit.

Stomachi ſubverſioni conſulendum eſt ante cibum, quo minus devoratus rejiciatur, quare ante omnes cibos mulſæ cyathi dimidium dandum eſt, bibitumque per vomitum reddendum, quo ſtomachi excrementa purgentur; ſic enim cibus in ventriculo firmus reſidet. At medicamina neceſſario educendorum purgatoria ſunt, pini fructus & urticæ, ſemina coccali, & piperis, amygdala amara, mellis conſiſtentiam præbeat.

Digitized by Google

Sin exſiccare volueris; optime proficit myrrha, & iridis radix, & medicamen ex viperis, & Beſtini, & Mithridatis antidotus, & id genus alia prope infinita.

Exterius apponenda ſunt cataplaſmata, quorum materia eſt ſertula, & papaver, & terebinthi lacrima, & hyſſopum, & oleum ex roſis, aut ex œnanthe; cera autem hæc omnia cogantur.

Inunctio pinguis geſtationes, deambulationes, & alia, quotquot carnes reficiunt, & vires inſtaurant, & naturam in antiquum ſtatum revocant, adminiſtrentur.

Sextum, & ſeptimum caput deficiunt.

De curatione Phthiſis, ſeu ulcerum pulmonis. Cap. VIII.

Carens principio, & fine.

. . . . . .

quemadmodum in navi, & tranquillitate, nam ſi recte habuerit ægrotans, in mari geſtatio fieri poterit, atque ibi vitam deget: cum ulceribus enim quiddam ſuccum marina ſalſugo communicat: a geſtatione quiete conceſſa utendum in præſentia pingui oleo; poſt frictiones oleum cum aceto infundatur, paulum primo, deinde adjiciendum uſque ad heminas quinque, aut ſex, aut multo plus etiam: ſin minus, at ſaltem quantum quis ferre poterit, multoties enim, vel id ſolum pro omni alimento ſatisfecit. Lac vero aſſumptu ſuave, potu facillimum, nutritu ſoli-

Digitized by Google

dum, & qualibet esca a pueritia familiarius est: præterea visui colore delectabile, medicamen arteriam non asperans, guttur lævigans, ad ejiciendam pituitam facilem spiritum reddens, inferiorem exitum lubricum efficiens, ulceribus dulce subsidium, & quolibet alio benignius: si quis multum lactis potat, nullo alio eget alimento, in morbo enim bonum medicamen lac, ejusdem & alimentum efficitur; nam hominum lacte vescentium nationes frumentum non edunt: optima vero est cum & puls, & bellaria, & alica lota, & quæcunque edulia ex lacte fiunt. Quod si & alia esca indigeat, ejusdem generis esto; ptisanæ cremor concoctu facilis, tenuis materiæ est, eatenus vero condiendus erit, quatenus absorptu facillimus sit. Si quid etiam saporis jucunditatem afferens capiat, & illud medicamentum esto; qualis est liguslici coma, pulegium, mentha, salis exiguum, acetum, aut mel; si ventriculus non concoquit; hujusmodi exhibenda sunt. At si nihil ventriculo tale exhiberi necesse sit, omnibus ptisana præstantior est. Licet & ptisanam in alicam permutare: minus enim flatuosa, & concoctu facilior est; si quemadmodum & ptisana extersa deglubitur. In humidioribus rejectionibus faba ulcera purgat, sed flatibus redundat; item pisum, & ochrus, qui, & quanto pauciores flatus citant, tanto minus ulcera purgant. Itaque medicus conjecturis ductus, prout præsentia postulant, his uti debet: istorum quoque condimenta sunto quotquot de ptisana memorata sunt. At ova ex igne quidem aquea calida, sed ex animalibus nuper edita optima sunt: priusquam eam. . . . . .

Reliqua hujus capitis usque ad xjjj. caput deficiunt.

Digitized by Google

De curatione ulcerum Jecoris; & puris ab eo effuſionis. Cap. XIII.

Carens principio, & fine.

. . . . . .

in jecore ulcus pernicioſus inſit: periculoſiſſimus autem eſt, qui in ventrem fit ſaniei confluxus; ſi ſtomachum occupet, qui viam ſuperiora petentibus præbet. Alimentum enim vitæ cauſa eſt: ipſius vero alimenti dux eſt ſtomachus, inſuper medicamenta intimis corporis partibus ſtomachus diſtribuit: quapropter ſi ad quælibet devoranda male ſe habeat, celerius ægrum morbo atque fame conſumi neceſſe eſt.

Hæ ſunt cujuſque loci, quo ſe pus converſurum eſt, inter ſe differentes notæ. Nam ſi per inteſtina delabitur; tormina vexant, alvus liquida eſt, pituita, & bilis fertur: deinde cruentum virus circumfluens, aut humiditas aquæ ſimilis, in qua crudæ carnes demerſæ lotæque fuerint.

Si pus in veſicam defluit; gravitas in renibus lumbiſque ſentitur, ac primo lotium multum, & bile infectum, poſtea turbulentum, nullam ſubſidentiam continens, quam græci hypoſtaſim dicunt, inconſtanſque decurret; ad extremum vero & ſedimentum album apparebit.

Sin ad ſtomachum ſurſum verſus pus rapitur, tunc orietur nauſea, odium cibi, vomitus pituitæ, aut bilis, defectus animæ, vertigo uſque eo, donec pus eſumpet. Præcipuum ſane fuerit in aliam partem avertere, prava enim hæc via eſt.

Quod

Digitized by Google

Quod si pus violentius feratur; omnia facienda sunt, stomachoque succurrendum escis, medicamentis, victusque ratione. Sed omnia leniter adhibenda. Medicamentis quidem ut sinus effringatur, studendum est: herbam itaque hyssopum cum mulsa potui dato, & marrubii comam ipsa quoque cum mulsa, & succo absinthii. Hæc utique quo humores extenuentur, & viæ lubricæ reddantur, & purulenta corpora facile rumpantur; ante cibos bibere expedit. Dandum est & asininum lac bilem non generans, bene nutriens, in caseum non spissescens: quæ lactis virtus est. Ad hæc ægrotanti gratificandum in cibo, & potione: quos, & si paulo deteriores juvantibus sunt, nihilominus tamen concedito, nam stomachus nausea vomenti, & contristanti humori transitus erit, siquidem nonnullos puris exitus offendit.

Cavendum est etiam ne jejuni sint: cumque aliquid cibi capiunt, illud purum sincerumque sit.

Opus est autem, in cæteris effluviis diligentissimam stomachi curam suscipere: quandoquidem ipse omnibus medicamentis iter præbet.

Meminisse quoque jecoris oportet, ubi ulcerum radix est.

Porro si pus in vesicam impetum facit, urinam citantibus eliciatur, ut puta asari radice, adianto, & meo potabilibus: hæc enim ex mulsa potui danda sunt. Bestini utique varium medicamentum, & quod ex vesicario solano conficitur, & quotquot experimento aliquibus probantur, optima sunt. Verum enim vero si per intestina educere malis, tibi lac eductorium esto, præcipue quidem asinæ: id si non adsit, capræ, aut ovis. Succi autem lubrici, & abstergentes præbeantur: qualis est hordeaceus. Obsonia sunto

Digitized by Google

piper, zingiber, liguſticum, utque ſemel de omni victus ratione abſolvam, in qualibet puris eruptione alimenta ſint boni ſucci, ſtomacho utilia concoctionem facile admittentia, ea vero ſint aut cremores, aut ex lacte pultes, & cibi ex amylo, & bellaria cum lacte.

Curatio Lienis. Cap. XIV.

SCIRRHI in liene geniti diſcuſſiones non facillimæ ſunt; quod ſi & ab hoc oriundi morbi proveniant, utpote anaſarca, aut malus habitus; inſanabile malum effectum eſt. Hac ratione vero ſcirrhis medicus opem ferre debet: orientes avertere, & nuper incipientes diſcutere oportet: inflammationibus autem reſiſtendum. Siquidem ſcirrhi inflammationibus ad diffiationem tendentibus veluti hereditario jure ſuccedunt: hæc enim inflammationis germina ſunt.

Porro iis remediis utendum eſt, quæ a me in ſermone de acutis morbis relata fuerunt. Si tibi omnia facienti in inflammatione ſcirrhus immaneat; igni quoque ſimilibus ad molliendam duritiem utitor: irrigationibus ex aceto, oleo, & melle. Sed lanæ vice panni lintei complicati accipiantur. Sic unguentariæ glandis pulvis cribratus inſpergendus eſt, & cataplaſmatis quammolliſſimis: . . . . . .

Reliquum iſtius libri uſque ad portionem duodecimi capitis ſecundi libri de curatione tardarum ægritudinum deficit.

Digitized by Google

ARETÆI CAPPADOCIS

DE

DIUTURNORUM MORBORUM CURATIONE.

LIBER SECUNDUS.

Cujus prima quinque capita Craſſus non vertit.

SECUNDI LIBRI CAPITA.

Curatio Hydropis ſeu aquæ inter cutem. *Cap. I.*
. . . *diabetis.* . . . . . *Cap. II.*
. . . *calculorum & ulcerum in renibus.* *Cap. III.*
. . . *vitiorum veſicæ* . . . . . *Cap. IV.*
. . . *gonorhœæ* . . . . . *Cap. V.*
. . . *vitiorum ſtomachi.* . . . . *Cap. VI.*
. . . *ventriculi affecti.* . . . . *Cap. VII.*
. . . *dyſenteriæ* . . . . . *Cap. VIII.*
. . . *lienteriæ.* . . . . . *Cap. IX.*
. . . *affecti uteri.* . . . . . *Cap. X.*
. . . *Arthritidis & Iſchiadis.* . *Cap. XI.*
. . . *Elephantiaſis.* . . . . . *Cap. XIII.*

Digitized by Google

. . . . . .

Curatio diabetis, id eſt urinæ profluvii. Cap. II.

Diabetis, *id eſt urinæ profluvii*, morbus hydropis ſpecies eſt, quod ad cauſam & habitum adtinet: loco unde humor effluit ſolo differt. Nam peritonæum conceptaculum eſt aſcitis, nec defluvium habet, ſed illic permanens exundat: in diabete verò idem eſt a patiente lapſus humoris, eademque colliquatio: in renes autem & veſicam exeundo fertur effuſio; aqua intercute laborantes hac via procedunt, ſi a morbo convaleſcant: ac bonum eſt ſi cauſa ſolvatur, nec ponderis duntaxat levatio fiat: his autem major ſitis adeſt, humidum enim defluens exſiccat. Remedia ad colliquationem ſedandam eadem, quæ ad hydropas valent: ad ſitim vero medicina magna eſt opus, ea enim in omnium dolorum genere maxima eſt, &, ſi ægri humidum bibant, meiendi provocatio eſt; adde quod & effluens his humor ſecum abducit ea quæ de corpore colliquat. Opus eſt igitur medicamentis ſitim depellentibus, ſitis enim magna eſt, ac potus inſatiabilis cupiditas, nullus enim potus quantus quantus is fuerit, ſiti medetur. Omnino ſtomacho, unde ſitis fons ſcaturit, ſuccurratur neceſſe eſt. Igitur ubi hiera purgaveris, epithematibus utitor, nardo, maſtiche, palmulis, malis cydoniis crudis: horum quidem ſuccus cum nardo & roſaceo ad humectandum optimus eſt, eorum vero cum maſtiche & palmulis cataplaſma fiat. Cum cera vero & nardino unguento horum mixtio bona eſt, vel ſucci acaciæ & hypociſtidis, tum ad humectandum, tum ad cataplaſmata. Cæterum & aqua, quæ potui dabi-

Digitized by Google

tur, cum pomis decoquatur. Alimenta ſint, lac, & cum eo cibaria amyli, alicæ; ſorbilia, vinum adſtringens, ad ſtomachum roborandum, id que ſi meracius ſit, præſtat ad evaporandos & diſſiciendos alios humores, nam ſitim ſalſi pariunt: vinum vero una & adſtringens & refrigerans, mitigatione pariter & temperatione: ad vires autem prodeſt etiam, ſi vinum dulce ſit ut ſanguis, ad ejus procreationem. Variæ medicinæ eædem adhibeantur, theriaca Mithridatica, quæ ex fructibus mollioris corticis (quos oporam Græci vocant) conficitur, & alia hydropi conducentia: itemque univerſa victus vitæque ratio eadem eſto.

Curatio calculorum & ulcerum in renibus. Cap. III.

DE inflammatione & ſanguinis eruptione, & quicumque a renibus affectus acute perimunt, in libris de morbis acutis ſcripſi: de exulceratione calculorumque ortu, quæ utplurimum ſenibus commoriuntur, nunc potiſſimum ſcribo, ad curationem quam proxime poſſum accedens: ſin minus, ad laborantium non nullam mitigationem. Calculorum igitur procreationem e fecunda ſterilem reddere nemo poteſt, facilius eſt enim uterum a pariendo prohibere, quam calculoſos renes calculis vacuare; ad exitum quoquomodo procurandum auxilia quærenda ſunt. Itaque ſi calculi conſidant, remedia dicam, nam valde tum ægroti dolent; inſuper & torminibus, & volvulo coli, & urinæ ſuppreſſione mortem obeunt: contigui enim ſunt renes & colon. Nam ſi calculi inſiſtant, inſitque præterea lotii ſuppreſſio ac volvulus, vena malleoli quæ recta reni reſpondet, ſecetur. Nam ſanguinis e renibus fluxio-

Digitized by Google

nes, calculorum inhæsiones cohibent; inflammatio enim colligata tenet omnia: evacuatio autem solutio est phlegmones, lumbique immectandi, ubi renum locus est, adhibeatur vero veteri vel recenti oleo rhyte. Anethi quoque coma ad urinam ciendam prodest, & libanotis, aut sampsuchum: iis autem aqua inspergenda est, parum enim inunctiones essent: cæterum & iis fovendum, coriis bubulis infuso anthemidis oleo. Cataplasmatum sylva cum farinis eadem esto. Soluit & nonnunquam calculos insistentes cucurbitula levis; ac optimum fuerit, si super inflammatione scarifices. Quod si etiamnum tibi hæc facienti superstites calculi maneant: in oleum homo descendat. Id enim simul omnia confert; tepor quidem emollit, & quadamtenus ad lentitiam adducit: acrimonia prompte mordet, quæ quidem & calculorum exitui prosunt, eosque provocant. E simplicibus pharmacis potui dandæ sunt radices, phu, meon, asarum: herbæ, prionites, petroseli, sium; è variis, unguenta quæ capiunt nardum, casiam, myrrham, cinnamomum. . .

. . . . . .

cicatricem obducet sinapi, & crustæ ab igne obductæ, & quæ antea dixi epithemata. Diæta vero, inunctio, navigatio, & vita in mari acta, omnia renum affectibus remedia sunt. . . . . .

Curatio profluvii seminis. Cap. V.

GOnorrhæa, *id est seminis profluvium*, quæ malorum omnium causa est, haud cunctanter solvenda est, tum propter colliquationis periculum, tum propter morbi turpitudinem, tum propter successurorum liberorum procreationis necessi-

Digitized by Google

tatem. Ac primum quidem, quemadmodum communis fluxus, ſananda eſt medicamentis adſtringentibus partes veſicæ & fluentibus locis propinquas atque refrigerantibus lumbos, ilia, pudenda, teſticulos, ne diu genitura diffluat: deinde rurſus univerſum corpus calfaciendum, ut excrementa ſiccentur. Adſtringunt igitur & macerant, & ab ove ſuccida lana, & unguinoſum roſaceum unguentum, aut œnanthinum, cum albo vino odorato, ſed ſenſim calorem excitando: oleum commune, & melilotum cum eo fervefactum, & ſampſuchum, & libanotum, aut conyza. Optima eſt & anethi coma & multo magis rhyte. His autem ad cataplaſmata utitor, hordei & ervi farinis & irionis ſeminis, nitrum quoque: mel vero ad omnium conſpirationem & connexionem. Talia etiam ſunt cataplaſmata quæcunque rubefaciunt, & jonthos *id eſt varos* cient, & fluxionem derivant, & locos tepefaciunt, tale eſt cataplaſma viride, & quod ex lauri fructu conficitur. Caſtoreum quoque frequenter bibendum, & de radice halicacabi unica drachma detur, & menthæ decoctum. Ex variis medicamentis; quod ex pipere gemino conficitur; Symphonis item & Philonis antidotum, optimum, & quod ex fera quæ ſinchus appellatur, ad potionem paratur pharmacum, & Beſtini antidotum, & theriaca ſerpentibus viperis conficitur. Univerſum autem victus rationi tribuendum concedendum & credendum eſt, exercitationibus & ambulationibus & geſtationibus; hæc enim habitum ad calorem convertunt, quo in hoc affectu eſt opus. Quod ſi temperans ſit rerum venerearum, & frigida lavetur, ſpes eſt fore ut celerime homo virilem habitum induat.

Digitized by Google

Curatio laborantium ſtomachi vitio. Cap. VI.

IN aliis morbis poſt curationem diæta ad vires & robur corporis, bona concoctio eſt; ſtomachi affectibus laborantibus ſolis hæc vitioſa eſt: quonam igitur pacto hæc comparetur dicam. Nam geſtationum, deambulationum, exercitationum, declamationum, & alimentorum concoctionem adjuvantium quod ſatis eſt, prodeſt quidem ad debellandum ſtomachi cibos faſtidientis vitium: ſed id concoquendi longam imbecillitatem tollere non poteſt, nec maciem corporis in corpulentiam convertere: multo vero magis proficiet medicus, ægrotantibus, ſi gratificetur, & pariter omnia faciat, ac cupiditatibus eorum indulgeat in rebus quæ non magnopere lædunt. Eſt enim id optimum, niſi rerum valde juvantium appetitu moveantur. Medicamenta potui danda ſunt, ſucci, abſinthium, nardinum unguentum, theriaca, petroſelini fructus, & zingiberis & piperis, & ſeſelios. Hæc ad concoctionem valent, etiam pectori ad adſtringendum impoſita, nardi, maſtichis, aloës, acaciæ, & pulpæ cydoniorum ſuccus. Ipſæ quoque malorum carnes contuſæ cum palmulis, epithema præbent adſtringens. Quinetiam alia quæcumque in diabete ad ſitis ſedationem mihi commemorata ſunt: eadem enim & his & illis ſitim provocant: tamerſi ſtomachicis conſtitutio ſtomachi ſiticuloſa minime ſit.

Digitized by Google

Curatio cœliacorum, id eſt ventriculo laborantium.
Cap. VII.

SI ventriculus ciborum digerendorum impotens ſit, diffluat autem alimentum non coctum, non mutatum, crudum, nihilque ad corporis molem tranſeat, cœliacos hos appellamus, refrigerato nimirum intus innato calore, quominus coquat, & viribus, quæ diſtribuunt alimenta, debilitatis.

Ventriculus igitur primum quiete & inedia labores remittat oportet; ita enim eo vires recurrunt. Si vero multitudo eorum, quæ ſtomachus acceperit ſubeſſe videatur, jejunis nauſeis ex aqua vel mulſa utendum eſt, Ventriculus autem contegendus; & ut adſtringatur, irrigandus lanis ab ove ſuccidis, ac unguinoſo roſaceo unguento, aut œnanthino, aut melino: optimum quoque fuerit ſi & lentiſcino, hypociſtide etiam aut omphacio. Cum his etiam cataplaſmata adhibeantur, calida quidem tactu, ſed viribus adſtringentia. Atque ſi alicubi ad jecoris vel ventriculi os tenſiones aut inflammationes ſint, cucurbitula admota incidere oportet: & ſunt quibus id ſolum ſufficiat. Ubi vero ceratis ad cicatricem ulcera perducta fuerint, & ad duritiem pervenerint, eo hirudines admovendæ: deinde epithemata concoctionem juvantia imponenda, quale eſt quod ex ſeminibus conficitur; ſi chamæleontis radicem habeat, optimum eſt: ubique lauri fructus inſint; malagma etiam quod viride appellatur, & meum, quod myſterium eſt, *id eſt arcanum.* Ea enim emolliunt & leniunt, & calorem cient, viſceraque flatibus evacuant, quibus ad adſtringendum eſt opus: cæterum & ſinapi, limneſtis, & euphor-

Digitized by Google

bium, & omnia talia, quæcumque refrigerationem amoliuntur, calorem autem revocant. Talia quoque ad adstringendum medicamenta potui danda sunt; primum quidem usui est arnogloſſi succus cum aqua myrtis aut cydoniis adstricta; optimus quoque acinus uvæ omphacinæ, vina vehementer adstringentia: deinde medicamenta quæ ventri medicantur: potiones quotquot ex zingibere, & pipere, & fructu sylvestris petroselini conficiuntur: theriaca quæ viperis feris constat, maximam vim concretionis dabit. Si vero hic nihil aut parum proficiatur, vomitibus ex radiculis utitor, sin autem & his albi veratri radicem per noctem unam includas, valentissima tibi fiet purgatio, tum ad humores frigidos purgandos & expellendos, tum ad calorem restaurandum. Cæterum & victus ratio vitaque hoc modo moderatæ sunto: noctu somni, interdiu deambulationes, declamationes, gestatio vel in lauris, vel in myrtis, vel in thymo, nam in perspiratione ac respiraiione, ad bene concoquendum medicamenti vis aliqua inest: exercitationes corporis, frictiones, manus gesticulatio, halteribus jaciendis, thoracis & ventriculi lassitudines, ante cibos potationes, minimè enim ad vires parandas expeditus est panis: his addatur frictio ad ruborem usque, deambulationes segnl. . . . . .

De curatione Arthritidis & Ischiadis. Cap. XII.
Secundi Libri

. . . . . .

ciborum, & raphanorum plerumque, deinde ad veratrum veniendum est.

Digitized by Google

In his victus ratio aliarum affectionum communis est, & post victus rationem inunctio, lavatio in frigida marina præcipue quidem omnibus articularibus vitiis communia medicamenta sunt; nam & podagricis veratrum mirifice, sed in primis morbi invasionibus succurrit. Quod si multis jam annis inveteravit, vel & a majoribus per successionem descendit; ægrotum ad mortem usque comitatur.

Artuum exacerbationibus hoc sane pacto subveniendum est; lanæ ex ove sordidæ adhibeantur, irrigationes fiant ex rosaceo, & vino; nonnullis & spongia e posca profuit. Ad hæc cataplasma fiat, panis sumatur cum refrigerantibus, ut pote cucurbita, & cucumere. Accipiatur & cucurbitula tenuis, & plantago herba, & rosarum folia. Nec non & sideritis dolorem sedat cum pane, & musco: & symphyti radix. & pentaphyllos herba (quinquefolium Romani vocant), & marrubium, quod foliis est tenuibus; hujus decoctum quidem infusum dolorem levat: ex ipsa vero herba cum panis micis, aut cum hordei farina cataplasma fiat. Malorum quoque citriorum pars non apta cibo cum polenta magnopere subvenit. Ficus aridæ, & amygdalæ cum aliqua farina. Hæc utique est refrigerationis materia. Et hoc quidem remediorum genus aliud alium juvit, & idem interdum alium atque alium.

Nonnullis vero calefacientia remedio sunt, atque idem remedium alias alii opitulatur. Pervulgatum est autem, & hoc ad dolorem tollendum proficere; capram oportet herbam iridem ad satietatem depasci; deinde interposito tempore, quantum ad pabulum in ventriculo conficiendum satis sit, capram immolare, atque intra ejus ven-

Digitized by Google

trem in fimo pedes ægrotantis occulere. Demum infinita ſunt medicamenta, ægrotos namque ſibi ipſis remedia parare urgens impellit calamitas. Sed medicorum auxilia in propriis libris conſcribentur.

Curatio Elephantiaſis. Cap. XIII.

& ultimum ſecundi voluminis

De curatione longorum morborum.

MORBIS, quo diſſolvantur, majora eſſe remedia opus eſt. Sed quænam medela excogitari poterit, quæ elephantiaſim, tam ingens malum, expugnare digna ſit? Neque enim in parte una, aut viſcere uno inhæreſcit, neque aut intus duntaxat labes occulitur, aut extra prorumpit; ſed & in penetralibus totum hominem occupat, & exterius totum amplectitur. Triſte profecto, & viſu terribile ſpectaculum, feræ namque ſpecies eſt, ac una cum his vivere, una cibum capere, perinde atque in peſtilentia, formidoloſum eſt; etenim per inſpirationis communionem facilis infectio eſt. Quid igitur quiſpiam in arte medica inveniat, quod hujuſce mali dignum remedium contineat?

Verum enim vero omnia conferre ſimul oportet medicamenta, & victus rationem, & ferramenta, & ignem. Hæcque ſi novo, & orienti, affectui adhibueris, ſanationis ſpes affulget. Sin ad ſummum ſuæ creationis adſcendat, in viſceribuſque ſtabilis ſedeat, quando & in faciem invadit; tunc de ægri ſalute ſpes omnino abſciſſa

Digitized by Google

eſt. Itaque venas in cubito ambas incidito; incidito & venas in malleolis eodem die: temporis enim interjectio atque ſeparatio fundendo ubertim ſanguini, & recreandis viribus aptior eſt; nam ſanguinem ſæpe, & multum, mittere operæ pretium eſt, quippe qui vitii hujus alimentum ſit; exigua vero ipſius pars eſt optima, quæ naturæ cibum præbeat. Idcirco qua ratione pravum inquinatumque detrahatur, atque interim corpori familiare ac bonum procreetur, conjectandum eſt, quoad alimenti penuria morbus prius fatigetur; nova enim eſca applicata, corpori ſpatio temporis, antiquam obſcurat atque debilitat.

Poſtea medicinam ſacram non ſemel propinato: quin omnia ſæpius iteranda ſunt, & reſumptio, & ad priora redditio. Eſto & alia medicamentoſa in cibis purgatio, ſicut antea de curatione doloris coxendicis diximus. Lac etiam promiſcuum atque indiſcretum, ſed largius, ad alvum molliendam potui detur, verum quintam aquæ partem, quo lac totum dilabatur, atque deſcendat, adjicito. At jejunos primo ad vomitum celerius ducito, deinde a cibis iterum, poſtea aſſumptis raphanis; frequenter autem atque aſſidue omnia fiant. Veratrum quolibet tempore, ſed potius vere atque autumno diebus alternis exhibeto: atque idem in proximum annum repetatur.

Cæterum ſi morbus invaluerit, potabilia medicamenta, quotquot quis cognoverit, potanda præcipiat, multa enim ac varia adhibere medicamenta eſt operæ pretium. Atqui & ego, quotquot mihi cognita ſunt, literis mandabo. Cedriæ cyathum unum, braſſicæ duos miſcens dato. Aliud; ſideritidis ſucci cyathus unus, trifo-

Digitized by Google

lii cyathus unus, vini & mellis cyathi duo. Aliud; dentis elephantis ramentorum drachma cum vini eretici cyathis duobus. Quin etiam viperarum reptilium ferarum carnes, & ipſæ in paſtillos conformatæ bibuntur: oportet autem & caput, & caudam ad quatuor digitorum ſpatium præcidere; reliquum uſque eo elixare, donec ſpinæ ſeparentur: carnes vero in paſtillos redactas in umbra frigefacere: qui potioni, quemadmodum, & ſcillæ exhibeantur. Ipſæ quoque viperæ in cœna obſonio dentur, quas coquere, & condire perinde, ac piſces, opus eſt. At ſi medicaminis illius varii ex viperis compoſiti facultas adſit, id pro omnibus, quandoquidem omnia ſimul continet, bibendum eſt.

Præterea corpus detergendum eſt, tumoreſque calefaciendi.

Alia item medicamenta ſunt innumera Celtarum, quos hac tempeſtate Gallos vocant. Nitroſis quoque illis factitiis globis, quibus velaminum ſordes expurgant, ſaponemque vocant; illis, inquam, globis corpus in balneo detergere optimum eſt: & portulaca, & ſedum cum aceto bene facit. Rumicis etiam radicum decoctum cum ſulphure crudo ſummopere deterget. Illud item varium ex alcyonio trito, & nitro, & aceti fæce combuſta, & alumine fiſſo, & ſulphure vivo, & coſto, & iride, & pipere, forſitan autem omnia pro ſingulorum viribus miſcenda ſunt. Aliquibus vero & hoc æquis portionibus compoſitum inſpergentes perfricabimus.

Faciei tumoribus ſarmentorum cinerem alicui ferarum adipi admiſcens illinito, leonis videlicet, aut pantheræ, aut urſi, ſin his careas, animalis, quod græce χαραλώπεκα vocant, latine vulpanſerem dicas, quod genus avis eſt, ſi per literas,

Digitized by Google

ϰ & ν prima ſyllaba ſcribitur: aut laconicum canem ſignificat ex vulpe, & cane natum ſi per α & υ eandem ſyllabam ſcripſeris; ſimile enim in diſſimilibus, quemadmodum ſimilia homini, mirifice prodeſt. Item ammoniaca gutta cum aceto, & plantaginis, aut ſanguinalis herbæ ſucco, & hypociſtis, & lycium.

Si carnes liveant, prius, quo locus ſucculentus reddatur, ſcarificandus eſt. At ſi ab acribus fluxionibus exulceratas partes lenire volueris; fœni græci aut hordei cremoris decoctum molle abſterſorium eſt, item ex oleis roſaceum, aut lentiſcinum. Aſſiduæ vero lotiones, & ad corporis madefactionem, & ad noxiarum humiditatum diffiationem mire proficiunt.

Eſca munda eſto, boni ſucci creatrix, concoctu facilis, ſimplex, & victus ratio prorſus recte inſtituta ſit in ſomno, & vigilia, in ambulationibus, & locis deligendis. Exercitationes adhibeantur, curſus, converſiones corporis, peræ aut ſacculi jactus; omnia hæc citra laſſitudinem apte, & congruenter intendantur. Eſto & vocis emiſſio, ſpiritus opportuna exercitatio. Veſtis eſto munda, non modo ut aſpectu jucunda ſit, ſed quoniam etiam ſordida cuti mordacia ſunt. Oppido quam utilis eſt & panis ex hordeo, & ſalſamentum tempeſtivum, & exiguum quid malvarum, aut braſſicæ ſemicoctum cum cumini liquamine. In cœna ſtaphylini radix apponatur, & alica cum vino, & melle antiquo mixtis, & marina quotquot ventrem ſubducunt, tellinarum juſcula, oſtrea, erinacei, & ex piſcibus ſaxatiles: ex terreſtribus feræ lepus, aut ſus: inter aves perdices omnes, palumbi, columbi, & quæcunque optima in illa regione inveniuntur. Inter fructus arboreos illi admittantur, quos

Digitized by Google

Græci horæos vocant: quod ea parte anni matureſcant, quam iidem græci Horam appellant. Vina dulcia vinoſis meliora. Balnea ſponte calida ſulphuroſa juvant; vita in aquis diu ducenda eſt, & mare, & navigatio conveniunt.

Præterea per veratrum purgationes fiant. Album, quidem ſuperiorem ventrem, atrum vero inferiorem purgat. Quin & album veratrum non vomitum tantum molitur; ſed etiam omnium ſimul purgantium medicamentorum efficaciſſimum eſt, non multitudine, & varietate excrementorum: id enim & affectus ille, qui Cholera dicitur, præſtare ſolet: non diſtentionibus, & violentia in vomendo (ab hoc enim, & nauſea, & mare validiora ſunt), ſed potentia, & qualitate non vitioſa; quippe quæ laborantibus ſanitatem reddit per exiguam purgationem, & modicam intentionem, vetuſtorum præterea morborum omnium firmis radicibus inhærentium, ſi cuncta alia medicamina viribus inferiora ſint, id unicum remedium eſt, ſiquidem igni facultate perſimile eſt album veratrum, & quod ignis exurens facit, eo plus veratrum interius diſcurrens operatur, videlicet facilem ſpirationem ex difficili, ex pallido colore floridum, & ex macie corpulentiam.

RELIQUA DEFICIUNT.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

Abſceſſus in colo. 71. 118.
Abſceſſus quibus rumpendus. 241.
Abſceſſus Jecoris. *vide* Jecur.
Abſceſſus lienis. *vide* Lienis.
Abſceſſus renum. *vide* Renes.
Abſinthii ſucci quantum dandum, & ejus vires. 234. 248.
Acetabulum. 127.
Adarce, Limneſtis. 157. 195.
Adenes. 101.
Adeps Leonis. 254.
- - Pantheræ. *ibid.*
- - Urſi. *ibid.*
Ægritudines diuturnas quæ incommoda ſequantur. 50.
Ægritudo longa tabidos facit. 84.
Æger cum Medico adverſus morbum conſpirare debet. 50.
Ægrotantibus gratificandum. 185. 248.
Ægri omnes curari non poſſunt. 236.
Ægyptus quos cibos & potus ferat. 14.
Ægyptiaca & Syriaca ulcera. *ibid.*
Æſtatis damna. 111.
Alicæ vires. 172. 255.
Alica quomodo pleuritico danda. 173.
Alimenti iter ad Jecur & in omne corpus aliud eſt & aliud 196-197.
Aloes vires. 234.
Alvi ſublutiones quantum proſint. 145.
Ama. 224.
Ammoniaca gutta 255.
Amyli facultates. 187-188.
Anæſtheſia. 63.
Anagoge. Sanguinis rejectio. 21.
Angina. Synanche. 8. Canina, Cynanche *ibid.* ſpecies duæ. *ibid.* 165. ſpecies in ſolo ſpiritu. 8. ſpecies pejor. 165. ſigna. 10. caninæ ſigna. 9. cum phlegmone ſymptoma. 8. cauſæ. 11. mutatio. *ibid.* caninæ mutatio ſalubris aut

Digitized by Google

perniciosa. 10. obnoxii canes linguam exserunt. 8. medendi regula. 11.
Anginæ ab ebrietate curatio. 166. clysteres qui & quando. *ibid.* Sectio venæ qualis conveniat. *ibid.* Sectio venarum linguæ prodest. *ibid.* defectus animæ nocet. *ibid.* quæ ligatura conveniat. *ibid.* quæ purgatoria levent. *ibid.* quales conveniant irrigationes. *ibid.* cataplasmata qualia. 167. quibus ad pus ducenda. *ibid.* collutiones. *ibid.* Illitiones. *ibid.* crustosis ulceribus gargarismi utiles. *ibid.*
Anginæ cum concidentia curatio. 168. hanc quid præcipue tollat. *ibid.* error medicorum in curando. *ibid.*
Anhelitus. Asthma. 76. causæ. *ibid.* indicia. 75. mitescentis nota. 77. mulieres facile patiuntur. 76. pueri cur facile evadunt. *ibid.* ea capti viri citius pereunt. *ibid.* quando differatur interitus. *ibid.*
Anthemidis oleum. 246.
Antitrochus. 217.
Animalia ob quæ vivant præcipue. 18.
Animi perturbationes immodicæ quam sint noxiæ. 66.
Antidoti ex multis constantes quas facultates habeant. 230. theriaca, mithridatium morsui viperæ medentur.
Anus & vesica inter se cohærent mutuoque afficiuntur. 105.
Aphthæ. 12.
Apoplexia quid. 62 morbus plane validus. 155. in senibus lethalis. *ibid.* plerumque eam parit saturitas. *ibid.* remedia Apoplexiæ convenientia. 156-160.
Apoplectico quæ vena solvenda. 155. a quo latere sanguis mittendus. *ibid.* quæ non scindenda vena. *ibid.* Clysteres quales. *ibid.* quando & quibus purgandus æger. 156. utiles vomitus. *ibid.* inunctiones quales. 157. conveniens inunctio. *ibid.* convenientia cataplasmata. *ibid.* cucurbitulæ ubi & quando affigendæ. 158.
Apostematiæ 71.
Apoplecton. 63.
Appetitus defectus 248.
Aqua multa ex colo. 118.
Aquæ fluxus inspectus vertiginem affert. 231.
Aquæ spontæ calidæ melancholicis utiles. 237.
Aqua inter cutem. *vid.* Hydrops.
Aranearum telæ. 203.
Ardoris venæ cavæ & arteriæ crassæ signa. 204. Venæ magnæ & arteriæ quomodo Venæ sectio conveniat. *it.* venæ & arteriæ laboranti quando cucurbitula admoven-

Digitized by Google

da. 205. venæ cavæ & arteriæ clysteres quales conveniant. *ibid.* ex vena cava & arteria ægrotantibus extrema quibus illinenda & quare. *ibid.* venæ cavæ & arteriæ diuretica remedia quæ & quare conveniant. *ibid.* venæ cavæ & arteriæ qui cibi profint. *ibid.* venæ cavæ & arteriæ sudoris evocatio confert. *ibid.* venæ cavæ & arteriæ morbus ut febris ardens curatur. *ibid.* per crisin non solvitur. 206.
Arenulæ calculorum indicia & materiæ. 102.
Aretæi arcanum ad cœliacos. 249.
Arnoglossi succus. 250.
Arquatus. 84. a quibus partibus gignitur. *ibid.* quomodo a jecore fit. 85. ab eo signa. *ibid.* a liene signa. *ibid.* a colo & ventriculo. 86. a quolibet viscere oriri potest. *ibid.* ab habitu totius corporis causæ. *ibid.* duæ species. 87. earum causæ. *ibid.* nigri signa. 88. albidioris. *ibid.* salubris & lethalis. 89. in acutis morbis malum est signum. *ibid.* quas ætates infestet. *ibid.*
Ab arteria sanguis quo differt à sanguine a vena. 24.
Arteria aspera. 158.
Arteriæ asperæ sanguinem emittentis notæ. 26. sanguinem emittentis remedia. 187.
Magnæ principium cor. 104. Magnæ ardor. *vid.* Ardor, & inflammatio p. 39.
In articulo ulcus difficile est. 107.
Arthritis. 125.
Articulorum doloris duplex ortus. *ibid.*
Articularis morbi varietas. 126. morbi principium. 127. morbus cur sit insanabilis. *ibid.* morbus omnem ossium compagem occupat. *ibid.* & 128. morbi causa. *ibid.* in Articulis tophi. *ibid.* Articulari morbo, quid in principio quid in fine conducat. 250. & 251. lavatio in frigida marina prodest. *ibid.* articulis dolentibus quid adhibendum. *ib.*
Asinini lactis vires. 238-239.
Asthma. Anhelitus. *vide* Anhelitus.
Atræ Bilis effectus varii. 55. illam educit thymi coma. 234.
Auditui austri graves. 226.
Aurium temporumque palpatio quantum valeat. 144.
Autumno Phthoæ abundant. 27.

B

Balnea sponte calida sulphurea elephantiasim juvant. 256.
Balneum ex oleo. 246.

Digitized by Google

